# DE SALLUSTII, LIVII, TACITI DIGRESSIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA
Guilelma Berolinensi

Scripsit

**GUILELMUS THEISSEN**
OLDENBURGIENSIS.

**PROMOTIO SOLLEMNIS HABEBITUR: DIE 12. MENS. MART. ANN. MCMXII.**

IN AEDIBUS R. TRENKELI, BEROLINI.
MCMXII.

# DE SALLUSTII, LIVII, TACITI DIGRESSIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

**ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA Guilelma Berolinensi**

Scripsit

**GUILELMUS THEISSEN**
OLDENBURGIENSIS.

**PROMOTIO SOLLEMNIS HABEBITUR: DIE 12. MENS. MART. ANN. MCMXII.**

IN AEDIBUS R. TRENKELI, BEROLINI.
MCMXII.

De dissertatione rettulerunt:

Eduardus Norden.
Hermannus Diels.

Josepho Diekmann
avunculo optimo
s.

De quibus rebus quemque in modum dispositis hac commentatione acturus sum.

---

## I. De Sallustii digressionibus.



## II. De Livii digressionibus.



## III. De Taciti digressionibus.

# De Sallustii, Livii, Taciti digressionibus.

Scriptores antiquos et Graecos et Latinos qui paulo intentius perlegit non raro haeret, cum narrandi cursum insertis quibusdam rebus vel leviter cum argumento proprio conexis vel plane ab ipso instituto alienis videt esse interruptum. Quam consuetudinem apud singulos scriptores haud congruere, immo alium in ea re cum alio longe discrepare cum qui vel minus diligenter eos comparat facile animadvertat, quibusnam ex rebus varii eius moris causa repetenda sit quaeritur. Itaque cum nemodum quod sciam in universas scriptoris alicuius digressiones quas dicunt accuratius inquisiverit, equidem, quippe qui de omnibus agere opusculi angustiis ad tempus prohibear, nunc omissis ceteris clarissimorum scriptorum Romanorum, Sallustii, Livii, Taciti excursus disserendi ratione comprehendere animum induxi. Atque ita quaestio videtur instituenda esse, ut ordine eos tractantes quaeramus, cum quibus quisque locis quidve spectans a proposito egrediatur, tum quatenus quisque in digressionibus instituendis ab aliorum exemplo pendeat. Neque tamen ut huic quaestioni satisfaciamus in Latinis modo nobis esse versandum, verum etiam Graecos, quorum vestigia inter eruditos constat non minus in narrandi ratione quam in ipsis rebus narratis apud illos deprehendi, nobis respiciendos esse vix est quod moneam.

## I. De Sallustii digressionibus.

Ac primum quidem de digressionibus Sallustianis quid existimandum sit ut exquiramus, non ab historiis quas dicunt nobis proficiscendum erit, quamquam plurimos excursus per eas dispersas fuisse reliquiae docent, sed ab illis qui de

coniuratione Catilinae et de bello Iugurthino inscribuntur libellis, utpote qui integri ad nostram aetatem pervenerint, ita quidem ut singulis eorum excursibus tractatis historiarum eiusdem generis digressionum quantum fieri poterit rationem ducamus.

### 1. De morum descriptionibus.

Initium fiat disputationis ab iis, quibus Sallustius paucorum hominum, per quos res narratae maxime geruntur, ubi eos induxit, originem cultum, naturam indolem, vitia virtutes ut brevi ita luculento modo describit. Quis enim est quin recordetur praeclari illius loci, quo Sallustius (Cat. 5) incipiens ita: *L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis sed ingenio malo pravoque* . . ., priusquam coniurationis narrandae initium sumit, scelesti eius viri eximias corporis ingeniique facultates et depravatum animum et mores tam egregie adumbrat, ut imaginem eius ad verum fere expressam nobis proponat. Neque huic descriptioni cedit ea, qua Semproniae (c. 25) splendidam effingit imaginem, quam feminam, cum ad res propositas nihil ipsa pertineat, odio commotus videtur induxisse, quippe quae ut mater D. Bruti ei fuerit invisa.[1])

In altero libello, qui est de bello Iugurthino, Iugurtham quidem eo modo Sallustius non inducit, verum cum in Mario (c. 63, 3) tum in Sulla (c. 95, 2) eundem egregium mores designandi artificem se praebet. Annumerare licet his excursibus locum non ita dissimilem (Cat. c. 53, 6), quo non de uno agitur, sed duo viri inter ceteros excellentes, Cato et Caesar, eum in modum describuntur, ut utriusque natura ingenium studia ut plane disparia ita aeque egregia parique laude digna inter se componantur eoque clarius illustrentur.

Neque aliam in historiis[2]) eum adhibuisse rationem sed praeter alios Sertorii (I 87), Pompei (II 16—19), Praeciae (III 18), Spartaci (III 90), Palicani (IV 43) imagines effinxisse ex reliquiis cognoscitur. Accedit Metelli Sertoriique compa-

[1]) conf. Eduardum Schwartz in Hermae vol. XXXII (a. 1897) pag. 570.
[2]) Sallustii hist. rel. ed. B. Maurenbrecher, Lipsiae, a. 1891.

ratio (I 116—118; Plut. Sert. c. 12), quam ita instituit, ut alterius non singulas facultates sed morum descriptionem absolutam cum altero componeret.

Iam vero quaestio oritur, a quo scriptore Sallustius hanc asciscere potuerit consuetudinem; neque enim quisquam eum ipsum ea primum usum esse asseverabit. Circumspiciamus igitur, ad cuius scriptoris auctoritatem se applicuerit. Atque non defuere, qui Thucydidem huius moris auctorem fuisse cogitarent.[1]) Qui quamvis Sallustio in omni oratione conformanda fuerit exemplo, tamen hac in re Thucydidem imitationis facultatem ei praebuisse, si utriusque describendi rationem accuratius comparaveris, non facile affirmabis. Neque enim Thucydides, quos viros induxit, eorum indolem naturam mores excursu a proposito facto explicare solet, immo vero privata eorum vita prorsus neglecta de iis tantum vitiis virtutibus studiis docet, quae ad res propositas valent, qua in re hac utitur ratione, ut quid viri dixerint, quo modo egerint, quid alii de iis iudicaverint dum affert, nobis ipsis existimandi praebeat facultatem[2]). Duo sane in opere Thucydideo insunt loci, quibus in aperto est solitum morem scriptorem non observare: dico I 138 et VIII 68, ubi de Themistocle et de Antiphonte oratore excursu addito dicit. Sed ista suas habent causas. Neque enim illum ut iam pridem mortuum, neque hunc ut in re publica non versatum historiae argumento inserere potuit. Graviore autem propendet voluntatis inclinatione in Antiphontem, quam ut prudentiam eius et dicendi facultatem plane praetereat, Themistoclisque maiore tenetur admiratione, quam ut egregii huius viri vitae exitum adiungere et praedicare eius ingenii vim omittat[3]). Itaque cum ne his quidem locis descriptiones

---

[1]) conf. E. Mollmann, Quatenus Sall. e. scriptorum Graecorum exemplo pendeat, progr. Regimont, a. 1878.

[2]) Quod luculentissime demonstravit J. Bruns in egregio libro: Literarisches Porträt, Berol., a. 1896, pag. 3—26.

[3]) F. Leo, Griechisch-römische Biographie, Lipsiae, a. 1901, pag. 86, adn. 4; Ed. Meyer, Forsch. zur alten Geschichte II, Halae, a. 1892, pag. 371, adn. 1.

Sallustii recte possint comparari, neque a Thucydide, neque ab annalium scriptorum Romanorum aliquo, de quibus idem ac de Thucydide non sine causa licet iudicare,[1]) neque a Catone vel Sisenna vel Coelio Antipatro, quos illo modo in hominum moribus describendis versatos esse nullum exstat indicium, hanc consuetudinem Sallustium ascivisse iure statuemus.

Quod si probatur, cui iam eam tribuemus? Id ut exquiramus, pauca sunt praemittenda. Discessit enim primus ab illa quae annalium scriptorum propria fuit ratione Xenophon in eo libro, qui inscribitur *Κύρου ἀνάβασις*, posterisque temporibus omnes fere scriptores Graeci ut Theopompus, Timaeus, Phylarchus, alii res gestas narrare non contenti in eorum virorum, per quos res maxime erant gestae, moribus aut laudandis aut vituperandis soliti sunt versari. Quorum licentiam vehementer oppugnans Polybius, quemcumque virum insignem induxit, in eius res per spatium aliquod temporis gestas inquisivit, ex iisque quid de viro ipso existimandum esset efficere et docere studuit[2]). Huius autem scriptoris historias notum est continuasse Posidonium Apamensem, qui longe alia ratione adhibita insignium virorum descriptiones consummatas et ut ita dixerim absolutas rebus narratis praeposuit. Atque cum idem Sallustium facere solitum esse supra viderimus, haud inepte aliquis suspicetur Posidonium, quippe cuius libros Romae tritos fuisse constet, vestigia eum pressisse[3]).

Quam sententiam ut confirmemus, describendi rationem a Posidonio adhibitam accuratius inspiciamus. Neque enim huius scriptoris historiae, etsi quinquaginta duorum librorum quos videtur composuisse ne ullus quidem ad nostram

---

[1]) J. Bruns, Persönlichkeit in der Geschichtsschreibung der Alten, Berol., a. 1898, pag. 63.

[2]) Quod accuratius docuit F. Leo, l. l. pag. 87, 108, 243.

[3]) conf. F. Leo, qui l. l. pag. 251 idem designat scribens haec: „Man könnte wohl nur an Posidonius denken; die psychologische Vertiefung, wie sie in der Betrachtung der Charaktere bei Sallust hervortritt, liegt in derselben Richtungslinie“.

aetatem permansit, prorsus in tenebris iacent. Maximi enim ad eas restituendas momenti exstant quaedam Diodori Siculi librorum reliquiae, quibus si diligenter et caute utemur, non solum quae nonnulli Posidonii libri continuerint, sed etiam quam rebus narrandis et exponendis is adhibuerit normam cognoscendi nobis dabitur facultas. Diodorus enim, sicut in aliis historiarum libris alios scriptores ad verbum fere exscripsit, ita quae praebet l. IV c. 20 et l. V inde a. c. 24—40, ea e Posidonio deprompsit [1]. Porro quae leguntur l. XXXII, c. 26 usque ad finem l. XXXVIII eidem scriptori deberi, id Wilms [2], C. F. Arnold [3], Busolt [4] tam dilucide demonstraverunt, ut ego hanc quaestionem retractare iure supersedeam. Illorum igitur virorum quaestiones, quae quod sciam omnibus probantur, secuti, quae istis libris a Diodoro exhibentur, re vera iis amissarum Posidonii historiarum partem non exiguam nobis redditam esse recte statuemus [5]. Haec maximi sunt momenti, neque tamen minoris nonnulli quos ex libris Posidonianis varii scriptores, in primis Plutarchus, Athenaeus, Strabo, Seneca nobis servaverunt loci, quos si Diodori fragmentis apte coniungemus, rationem Posidonii historiis adhibitam eo melius intellegemus.

Ac primum quidem si Diodori [6] illas historiarum reliquias perscrutamur, l. XXXIII c. 1, 2 morum descriptio quaedam se offert, quam si leges, Sallustii de Catilina exponentis memoria statim tibi afferetur. Nam sicut hunc de

---

[1] Quod docuit Carolus Müllenhoff, Deutsche Altertumskunde, pag. 303, 319.

[2] Über die Quellen für die Geschichte des ersten Sklavenkrieges, Hamb. a. 1885.

[3] in annalium suppl. XIII (a. 1884) pag. 107.

[4] in ann. vol. CXXXXI (a. 1890) pag. 321, 405.

[5] Nam quae ad orientem spectantia in his libris inveniuntur, in iis floridum Posidonianum dicendi genus tam manifesto deprehenditur, ut ex eodem fonte ea derivata esse quamvis non certissimis argumentis demonstratum sit, tamen qui cum ipsis Posidonii reliquiis ea comparaverit sibi persuadeat.

[6] Utor editione a Dindorf curata, a Vogel recognita, Lips. a. 1868—88.

Catilinae origine corporis ingeniique facultatibus moribus depravatis audimus dicentem, ita ab illo de Viriathi, quem Lusitani ducem contra Romanos secuti sunt, origine iuventute, robore duritia, belli usu iustitia docemur. Sed quoniam exemplis quod dixi probare iuvat, quae ab utroque praebentur componam:

Sall. Cat. 5.

*L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis sed ingenio malo pravoque. huic ab adulescentia bella intestina, caedes rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit* (*1*).

*corpus patiens inediae algoris vigiliae supra quam cuiquam credibile est* (*2*). *animus audax subdolus varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. vastus animus inmoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat.*

Diod. XXXIII 1, 2.

*Ἦν μὲν οὖν οὗτος τῶν παρὰ τὸν Ὠκεανὸν οἰκούντων Λυσιτανῶν, ποιμαίνων δ᾽ἐκ παιδὸς ὀρείῳ βίῳ κατέστη συνήθης* (1), *συνεργὸν ἔχων καὶ τὴν τοῦ σώματος φύσιν· καὶ γὰρ ῥώμῃ καὶ τάχει καὶ τῇ τῶν λοιπῶν μερῶν εὐκινησίᾳ πολὺ διήνεγκε τῶν Ἰβήρων.*

*συνεθίσας δὲ αὐτὸν τροφῇ μὲν ὀλίγῃ, γυμνασίοις δὲ πολλοῖς χρῆσθαι καὶ ὕπνῳ μέχρι μόνου τοῦ ἀναγκαίου* (2), *καθόλου δὲ σιδηροφορῶν συνεχῶς καὶ θηρίοις καὶ λῃσταῖς εἰς ἀγῶνας καθιστάμενος, περιβόητος ἐγένετο παρὰ τοῖς πλήθησι, καὶ ... οὐ μόνον ἐθαυμαστώθη δι᾽ ἀλκήν, ἀλλὰ καὶ στρατηγεῖν ἔδοξε διαφερόντως. ἦν δὲ καὶ δίκαιος ἐν ταῖς διανομαῖς τῶν λαφύρων ...*

Ex eiusdem generis descriptione fluxerunt quae XXXV 5 de Tiberii Gracchi summo genere nati ingenueque educati prudentia eloquentia lingua libera comperimus. Porro huc pertinent quae XXXVII 10, 1 de M. Livii Drusi origine et divitiis, eloquentia et humanitate proferuntur. Verum ipsum Diodorum audiamus: *Μάρκος Λίβιος Δροῦσος ἀνὴρ νέος μὲν ἦν τὴν ἡλικίαν, κεκοσμημένος δὲ πᾶσι τοῖς πρωτείοις. πατρός τε γὰρ ἦν ἐπιφανεστάτου καὶ παρὰ τοῖς πολίταις δι᾽ εὐγένειαν*

*καὶ ἀρετὴν θαυμαστῶς, ἀγαπωμένου, αὐτὸς δὲ ὑπῆρχε λόγῳ μὲν δεινότατος τῶν ἡλικιωτῶν, πλούτῳ δὲ πάντας τοὺς πολίτας ὑπερβάλλων, μεγάλην δὲ ἀξιοπιστίαν ἔχων καὶ κατὰ τὰς ὑποσχέσεις ὢν βεβαιότατος, ἔτι δὲ πλήρης εὐγενοῦς φρονήματος.*

At sicui haec non satis magnam persuadendi necessitatem videntur habere, ipsius quoque Posidonii verba licet ponere. Plutarchus enim postquam auctore Posidonio primum M. Claudium, Marci filium, cognomine Marcelli, id est bellicosi, appellatum esse narravit, quae de huius non viribus modo et belli gerendi usu sed humanitate quoque et scientia literarum Graecarum ille auctor exposuerat in usum vocat (Marc. c. 1)[1]: *Ἦν γὰρ τῇ μὲν ἐμπειρίᾳ πολεμικός, τῷ δὲ σώματι ῥωμαλέος, τῇ δὲ χειρὶ πλήκτης, τῇ δὲ φύσει φιλοπόλεμος, καὶ τούτῳ δὴ πολὺ τὸ γαῦρον ἀγέρωχον ἐπιφαίνων ἐν τοῖς ἀγῶσι, τῷ δὲ ἄλλῳ τρόπῳ σώφρων, φιλάνθρωπος, Ἑλληνικῆς παιδείας καὶ λόγων ἄχρι τοῦ τιμᾶν καὶ θαυμάζειν τοὺς κατορθοῦντας ἐραστής*[2], *αὐτὸς δὲ ὑπ' ἀσχολιῶν ἐφ' ὅσον ἦν πρόθυμος ἀσκῆσαι καὶ μαθεῖν οὐκ ἐξικόμενος.*

Nunc recorderis velim Sallustii, qui origine Catilinae commemorata corporis vires et facultates ingenio eius et animo ita opponit: *Corpus patiens inediae algoris vigiliae supra quam cuiquam credibile est. Animus audax subdolus varius* . . . Simillimam hic describendi rationem deprehendi non negabis.

Quid quod longius progredi licet. Demonstrari enim potest ne *συγκρίσεις* quidem quas vocant a Posidonio fuisse absonas. Idem enim Plutarchus componens inter se Fabium Maximum et Marcellum, imperatores tum praeclarissimos, qui diversa secuti parem laudem adepti erant[3], postquam hunc manu promptum et pugnandi cupidum, illum lentum et cunctatorem nominavit, pergit ita (Fab. Max. c. 19, 17)[4]:

---

[1]) Müller, fragm. hist. Graec. III, pag. 270, 43.

[2]) confer Sallustium de Sempronia (Cat. 25, 2) dicentem: *literis Graecis et Latinis docta, psallere et saltare elegantius quam necesse est probae* . . .

[3]) Fab. Max. c. 19, 5: *ἀπὸ τῆς ἐναντίας σχεδὸν προαιρέσεως θαυμαζόμενοι παραπλησίως.*

[4]) Müller, l. l. pag. 270, 44.

*Διὸ τοῦτον μὲν ὁ Ποσειδώνιός φησι θυρεόν, τὸν δὲ Μάρκελλον ξίφος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καλεῖσθαι, κιρναμένην δὲ τὴν Φαβίου βεβαιότητα καὶ ἀσφάλειαν τῇ Μαρκέλλου συνηθείᾳ σωτήριον γενέσθαι τοῖς Ῥωμαίοις.* Quibus ex verbis dilucide apparet Posidonium virorum mores et studia dissimilia quidem, quibus tamen parem laudem sibi comparaverant, inter se composuisse, id quod Sallustium in Catilina fecisse supra diximus.

Plutarchus cum ipsam Marcelli et Fabii comparationem non exscripserit, aliam *σύγκρισιν* ex libris Posidonianis depromptam eum nobis servavisse licet ostendere. Priusquam enim Tiberii et Cai Gracchorum vitam componit, contra morem consuetudinemque quibus in rebus alter frater cum altero congruat, quibus in rebus discrepet accuratissime exponit. Quam comparationem Plutarchum non exemplo modo Posidonii instituisse sed ipsis eius verbis usum esse non sine causa opinabimur. Ac primum quidem Posidonio, si quos viros inter se composuit, Gracchorum ingenia indoles mores componendi occasionem non defuisse in aperto est. Neque quae idem de fratrum vita et studiis praebuerat Plutarchum non legisse, id loci nonnulli inter hunc et Diodorum congruentes suadent ut statuamus: Plut. Tib. Gr. 1: *οὗτοι Τιβερίου Γράγχου παῖδες ἦσαν, ᾧ τιμητῇ τε Ῥωμαίων γενομένῳ καὶ δὶς ὑπατεύσαντι καὶ θριάμβους δύο καταγαγόντι . . . διὸ καὶ τὴν Σκηπίωνος τοῦ καταπολεμήσαντος Ἀννίβαν θυγατέρα Κορνηλίαν, . . . λαβεῖν ἠξιώθη*; conf. Diod. XXXIV 5: *ἦν υἱὸς Τιβερίου τοῦ δὶς ὑπατευκότος καὶ πολέμους ἐπιφανεῖς καὶ μεγάλους κεχειρικότος, ἔτι δὲ καλῶς πεπολιτευμένου, θυγατριδοῦς δὲ Ποπλίου Σκιπίωνος τοῦ καταπεπολεμηκότος Ἀννίβαν καὶ Καρχηδονίους.* — Plut. Tib. Gr. 21: *Σκηπίων ὁ Ἀφρικανὸς, . . . τὴν τελευτὴν τοῦ Τιβερίου πυθόμενος, ἀνεφώνησεν ἐκ τῶν Ὁμηρικῶν: ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅ τις τοιαῦτά γε ῥέζοι*; conf. Diod. XXXIV 7, 3: *τὸν Ἀφρικανόν φασιν ἐπιβοῆσαι τοιαῦτα: ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος . . .* Plut. C. Gr. 4: *φήσας τῇ μητρὶ Κορνηλίᾳ δεηθείσῃ χαρίζεσθαι τὸν Ὀκτάβιον*; conf. Diod. XXXIV 25, 2: *ἀφῆκεν αὐτὸν εἰπὼν τῷ δήμῳ διότι ταύτην χάριν δίδωσι τῇ μητρὶ προεντετευγμένος*

*ὑπ' αὐτῆς.* — Plut. C. Gr. 17: *ἦν γὰρ προκεκηρυγμένον . . . ἰσοστάσιον χρυσίον τοῖς ἀνενεγκοῦσι τὴν Γαΐου καὶ Φουλβίου κεφαλὴν . . . ἐξελὼν γὰρ τὸν ἐγκέφαλον ἐνέτηξε μόλυβδον*; conf. Diod. XXXIV 29: *ὁ γὰρ ὕπατος ἦν ἐπικεκηρυχὼς τῷ τὴν κεφαλὴν ἀπενέγκαντι δώσειν ἰσόσταθμον χρυσίον. ὁ δὲ τὸν τράχηλον διατρήσας καὶ τὸν ἐγκέφαλον ἐκκενώσας ἐνέτηξεν ἀντὶ τούτου μόλυβδον.*

Non premam denique, quod vel dicendi genus Posidonianum mihi videor deprehendere, sed hoc maximi est momenti, quod ne Agin quidem et Cleomenem, quos reges fratribus illis in aequo ponendos esse ipse profitetur (Agis c. 2) eodem modo comparat: quippe Posidonium hic imitando exprimere non potuit.

Quod si tibi placet, Plutarchum vel potius Posidonium conferas velim cum Sallustio de Caesare et Catone exponente:

| Sall. Cat. 54. | Plut. Tib. Gr. 2. |
| --- | --- |
| *Igitur eius genus aetas eloquentia prope aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii.* | *. . . τῶν νεανίσκων ἐκείνων ἐν πολλῇ τῇ πρὸς ἀνδρείαν καὶ σωφροσύνην, ἔτι δὲ ἐλευθεριότητα καὶ λογιότητα καὶ μεγαλοψυχίαν ἐμφερείᾳ μεγάλαι περὶ τὰ ἔργα καὶ τὰς πολιτείας οἷον ἐξήνθησαν καὶ διεφάνησαν ἀνομοιότητες . . .* |
| *Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando sublevando ignoscundo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare vigilare . . ., at Catoni studium modestiae* | *πρῶτον μὲν οὖν ἰδέᾳ προσώπου καὶ βλέμματι καὶ κινήματι πρᾶος καὶ καταστηματικὸς ἦν ὁ Τιβέριος, ἔντονος δὲ καὶ σφοδρὸς ὁ Γάϊος, ὥστε* (1) . . . *ἔπειτα ὁ λόγος τοῦ μὲν Γαΐου φοβερὸς καὶ περιπαθὴς εἰς δείνωσιν, ἡδίων δὲ ὁ τοῦ Τιβερίου καὶ μᾶλλον ἐπαγωγὸς οἴκτου. τῇ δὲ λέξει . . .* *οὕτω δὲ καὶ περὶ δίαιταν καὶ τράπεζαν εὐτελὴς καὶ ἀφελὴς ὁ Τιβέριος, ὁ δὲ Γάϊος . . .* |

*decoris, sed maxime severitatis erat, . . . esse quam videri bonus malebat: ita (1), quo minus petebat gloriam, eo magis illam adsequebatur.*

*τῷ δὲ ἤθει κατὰ τὴν τοῦ λόγου διαφορὰν ὁ μὲν ἐπιεικὴς καὶ πρᾶος, ὁ δὲ τραχὺς καὶ θυμοειδής, ὥστε* (1) . . .

Non inutile videtur adhibere hic comparandi causa alium quendam libellum, in qua rationis illius Posidonianae certa exstant vestigia: dico Pompei Trogi historias Philippicas in angustum coactas a Iustino. Huius enim Trogi historiis non solum imagines insignium virorum Posidonii more expressas sed *συγκρίσεις* etiam subiectas fuisse epitoma docet. Ex quibus cum Philippi et Alexandri comparationem Iustinus servaverit, ut cognoscas, quam arta ei cum Posidonii et Sallustii excursibus intercedat necessitudo, quae ad hanc demonstrandam sufficiunt exscribam: Just. IX, VIII 12: *Hic aperte, ille artibus bella tractabat . . . Patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre; Alexander non in hostem, sed in suos saeviebat. Quam ob rem* (conf. Plut: *ὥστε*, Sall. itaque) *saepe Philippum vulneratum proelia remisere, hic amicorum interfector convivio frequenter excessit . . . Literarum cultus utrique similis.*

Quibus omnibus quae de varia variorum scriptorum consuetudine exposui recte perpensis facere non poteris, quin statuas Sallustium et descripsisse hominum mores et Catonem Caesaremque inter se composuisse more institutoque Posidonii Apamensis.

Pauca mihi dicenda sunt de elogiis quae dicunt, quibus Sallustium in historiis virorum insignium mortem prosecutum esse Seneca refert suas. 6, 21: *Quotiens magni alicuius viri mors ab historicis narrata est, toties fere consummatio totius vitae et quasi funebris laudatio redditur hoc . . . in paucissimis personis usurpatum a Sallustio.* Quae Senecae verba ut vere dicta videantur efficiunt historiarum quaedam reliquiae, ex quibus Sallustium non vitam modo sed ingenium quoque et mores Sullae mortui persecutum esse recte si quid video Maurenbrecher collegit (I 58—61). Atque cum illas de quibus

supra disputavimus descriptiones ad Posidonii auctoritatem revocaverimus, neque ab his elogia nisi loco quo sunt addita diversa sint, hac in re ad eiusdem scriptoris exemplum Sallustium se conformasse non falso opinabimur. Ad hanc sententiam confirmandam nonnihil valent historiae Pompei Trogi, quem in hominum moribus designandis eiusdem Posidonii vestigia pressisse diximus. Pompeium autem insignium virorum mortem ita prosecutum esse, ut primum quos quisque annos expleverat annotaret, deinde de moribus et factis notatu dignis iudicaret, id apparet ex Iustini epitoma, in qua Epaminondae (VI, VIII 1), Philippi (IX, VIII 1), Alexandri Magni (XII, XVI 1), Pyrri (XXV, V 2) elogia sunt servata, quae quin Posidonii more sint instituta nemo dubitabit. Neque aliud iudicandum est de paucis excursibus, quibus Pompeius terrarum vel locorum insignium, ut Carthaginis (ep. XVIII, VIII) et Macedoniae (XXXIII, II 6), fine narrato, historiam earum breviter comprehendit. Atque ne hos quidem a Sallustii historiis fuisse alienos infra videbimus (pag. 90).

### 2. De ea qua rei publicae Romanae condicio exponitur digressione.

Haec si recte diximus, iam ad eas quae in ipsa narratione et expositione occurrunt digressiones pergamus. Exordiamur autem a Cat. 36, 4 sq., ubi Sallustius de summo periculo coniuratione Catilinae rei publicae parato disserit. Sicuti enim aliquotiens mores et naturam hominum describit, ita prima huius excursus parte populus et imperium Romanum quanto fuerint in discrimine docet, cum non solum coniurati sed universa plebs, semper rerum evertendarum cupida, Romae multis aliis de causis seditiosa, rei publicae perniciem molita sit. Describit igitur Sallustius miseram rei publicae Romanae condicionem. Quod cuius exemplo fecerit si placet inquiramus.

Nec defuerunt qui Thucydidis vestigia eum pressisse suspicarentur, in eis E. Mollmann, qui scribit l. c. pag. 3 haec: „Quo in numero in primis referenda est egregia illa descriptio civilium dissensionum Graecarum (Thuc. III 81—84),

quae Sallustii animo et in Catilina et in Iugurtha observata est, ubi simillimum in modum quibus discordiis res publica Romana dilacerata sit enarrat.“ Prima sane specie haec maxime placent. Nam ut omittamus l. III c. 84 falso Thucydidis nomini adscriptum, quae a Sallustio Cat. c. 38, 3—4 leguntur si cum iis componimus, quae proferuntur a Thucydide c. 82, 8, similitudinem quandam locorum deprehendi in aperto est. Neque vero, ut concedatur sententias nonnullas Sallustium esse mutuatum, formam ipsius digressionis et rationem Thucydidi eum debere quisquam recte inde colliget, cum plane diversum sit apud utrumque genus narrandi. Excursu quidem Thucydides, qui de temporum indole et de statu rei publicae et aliis de rebus similibus orationibus insertis docere solet,[1]) de certaminibus civilibus per omne bellum Graeciam vexantibus explicat, in quibus tamen ita versatur, ut tempus illud tamquam praecurrens nata haec ex Corcyraeorum saevitia et brevi corroborata et per universam Graeciam diffusa ostendat: usque eo non describit, id quod Sallustium facere in confesso est.[2]) At Posidonium inspiciamus, num forte hic quoque possit adhiberi. Atque hunc scriptorem, quem in hominum natura et ingenio describendis versatum esse vidimus, de temporum quoque indole et rerum condicione disserendi usum esse occasione quid facilius coniciemus? Valent aliquid ad hanc coniecturam stabiliendam historiae Diodori, qui eiusmodi digressionem a Posidonio depromptam subicit XXXIV 2, 25—26. Hic enim incipiens ita: *οὐδέποτε στάσις ἐγένετο τηλικαύτη δούλων ἡλίκη συνέστη ἐν τῇ Σικελίᾳ* . . . quantae fuerint miseriae ex bello servili natae, quibusque ex rebus causa earum repetenda sit ostendit. Apparet artiorem huic quam digressioni Thucydideae ne-

[1]) Ed. Meyer, Forsch. II, pag. 379.

[2]) Confer J. Bruns, Lit. Porträt, pag. 33: „In seinem Werke . . . war kein Platz für eine Zustandschilderung . . . Die berühmten Kapitel III 82—83 machen davon keine Ausnahme. Sie fassen die allmähliche sittliche Zersetzung, welche sich in dem beschriebenen Zeitraum abspielt, kurz zusammen. Sie bedeuten kein ruhendes Sein, sondern ein Werden.“

cessitudinem intercedere cum descriptione Sallustiana, neque temere quisquam ea nixus de Posidonio ut moris eius auctore cogitet.

Maioris etiam momenti sunt ea, quibus mala seditione servorum altera in Siciliam illata explicat (XXXVI 6 et 11); aperte enim verbis: *εἶχε δὲ τὴν Σικελίαν πᾶσαν σύγχυσις καὶ κακῶν Ἰλιάς* (6). *οὐ μόνον τὸ πλῆθος τῶν οἰκετῶν τὸ πρὸς τὴν ἀπόστασιν ὡρμημένον κατέτρεχεν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐλευθέρων οἱ τὰς ἐπὶ χώρας κτήσεις οὐκ ἔχοντες ἐτρέποντο πρὸς ἁρπαγὴν καὶ παρανομίαν*[1]) (11) . . . revocamur ad verba Sallustii haec (36, 5): *tanta vis morbi atque uti tabes*[1]) *plerosque civium animos invaserat. neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant, sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. id adeo more suo videbatur facere . . .*

Sed ad alteram partem vertamus, qua Sallustius dissensiones et discordiae civiles, quibus potissimum illud discrimen effectum erat, Sullae dictatura oppressae quomodo post tribuniciam potestatem a Pompeio restitutam rursus rem

---

[1]) Notatu dignum videtur, quod similem translationem legimus apud Diodorum XII 12, 3: *ὑπολαβὼν . . . τὴν φαυλότητα καθάπερ λοιμικὴν νόσον ἐπινέμεσθαι τὸν βίον τῶν ἀνθρώπων καὶ νοσοποιεῖν τὰς ψυχὰς τῶν ἀρίστων.* Nam hanc digressionem de Charondae et Zaleuci legibus institutam (XII 12—22) Posidonio deberi et Georgius Busolt (in ann. vol. CXXXIX a. 1889 pag. 308) gravibus argumentis, quamquam negat Eduardus Schwartz (Enc. Real. V. col. 685), demonstravit et eo confirmatur, quod dicendi genus Posidonianum ex reliquiis et Diodori l. V 24—40, XXXIII—XXXVIII intellectum aperte elucet. Quod paucis exemplis probabo:

Diod. XII 12, 4: *ἀποστερήσεσθαι τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων;* conf. Diod. XXXVII 8, 1: *χρησάμενος τοῖς καλλίστοις ἐπιτηδεύμασιν.* — Diod. XII 17, 1: *ἰδιόν τι καὶ παντελῶς ἐξηλλαγμένον νομοθετῆσαι;* conf. Pos. fr. 14. *νόμιμα πάντελῶς ἐξηλλαγμένα καταδεῖξαι.* — Diod. XII 19, 1: *καθ' ἣν ἰδιόν τι καὶ παράδοξον αὐτῷ συνέβη;* conf. Diod. V 26, 1: *ἴδιον δέ τι καὶ παράδοξον συμβαίνει κατὰ . . .* — Diod. XII 20, 1: *πολλῆς ἀποδοχῆς τυγχάνων;* conf. Diod. XXXIII 28a, 2: *μεγάλης ἀποδοχῆς ἔτυχον.* — Diod. XII 20, 2: *εἰς εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην;* conf. fr. 2: *εὐσέβεια θαυμαστὴ . . . δικαιοσύνη τε.* — Diod. XII 21, 1: *ἀπέτρεψε τῆς βλαβερᾶς τρυφῆς καὶ ἀκολασίας τῶν ἐπιτηδευμάτων;* conf. Diod. XXXVII 3, 2: *ἐτράπησαν γὰρ οἱ νέοι . . . εἰς τρυφὴν καὶ ἀκολασίαν.*

publicam invaserint eamque vexaverint narrat (38—39, 5). A Posidonio eiusmodi explicationes altius repetitas non fuisse alienas compertum habebit qui historiarum eius reliquias et Diodorum perscrutatus erit. Porro cum primam partem Posidonii exemplo institutam esse si non certum at veri simillimum reddiderimus, de altera idem iudicantes non magnopere errabimus.

### 3. De explicationibus altius repetitis.

Priusquam autem id affirmemus, alias duas digressiones ab hac haud ita diversas consideremus. Quarum altera occurit Ing. c. 41 sq., ubi Sallustius de acribus partium certaminibus mentione facta primum concordiam civium metu hostili servatam strictim attingit, deinde hoc post Carthaginem deletam absterso turbas civiles ex potentiae cupiditate nobilium, populi lubidine exortas maxima mala in rem publicam intulisse docet. Alteram aliquanto ampliorem subicit Cat. c. 6, postquam ad depravatum Catilinae animum maximi momenti fuisse monuit mores civitatis perditissimos. Quod ut illustret, profectus ab urbis initiis primum veteris rei publicae paulatim auctae virtutem iustitiam simplicitatem praedicat, deinde commutationem factam ostendit, denique luxuriam ambitionemque magis magisque in rem publicam incumbentem copiose describit.

Ac primum quidem utriusque excursus formam et rationem deprehendimus in ea disputatiuncula, qua Seneca verbis usus Posidonii ex quibus initiis profectas leges persequitur:

| Seneca XC 4 | Sall. Cat. 9. | Iug. 41. |
|---|---|---|
| *Sed primi mortalium quique . . . naturam incorruptam sequebantur, eundem habebant et ducem et legem.* | *. . . boni mores colebantur, . . . ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.* | *Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant, . . .* |
| *Sed postquam subrepentibus vitiis in* | *Sed ubi labore atque iustitia res pub-* | *Sed ubi illa formido mentibus de-* |

| | | |
|---|---|---|
| *tyrannidem regna conversa sunt, opus esse legibus coepit.* | *lica crevit, . . . saevire fortuna ac miscere omnia coepit.* | *cessit, . . . lascivia atque superbia incessere.* |

Verum longius licet procedere. Excursum enim illi quam secundo loco posuimus expositioni Sallustianae non forma modo congruentem sed argumento quoque simillimum eodem consilio Posidonium historiis inclusisse potest demonstrari. Qui quo loco occurrat si quaeris, maximam eius partem servavit Diodorus l. XXXVII 3, ubi de veterum Romanorum moribus mentione inchoata luxuriam post deletam Carthaginem corroboratam esse accurate exponit. Quae hic proferuntur, ne dicas ea ex Posidonii historiarum vel singuli cuiusdam libri prooemio fluxisse, alia eandem rem spectantia verba Diodori impediunt haec (XXXVIII 2, 1): *αἰτίαν δὲ πρώτην γενέσθαι τοῦ πολέμου (τοῦ Μαρσικοῦ) τὸ μεταπεσεῖν τοὺς Ῥωμαίους ἀπὸ τῆς εὐτάκτου καὶ λιτῆς ἀγωγῆς καὶ ἐγκρατοῦς, δι᾽ ἧς ἐπὶ τοσοῦτον ηὐξήθησαν, εἰς ὀλέθριον ζῆλον τρυφῆς καὶ ἀκολασίας.* Sicuti igitur Sallustium corruptae Catilinae naturae ita Posidonium intellegitur belli Marsici causam ex perditissimis civitatis Romanae moribus repetivisse, quos non descripsit solum sed ab altiore initio profectus nascentes et crescentes persecutus est. Neque vero quae apud Diodorum habentur, omnem iis digressionem Posidonianam comprehendi, sed plura de veteribus Romanis exstitisse iam ex eo aliquatenus videtur apparere, quod Diodori verba sunt praecisa. Qua in re utilissimum maximique momenti videtur esse fragmentum quoddam ipsius Posidonii historiarum, quod affert Athenaeus VI, pag. 279 A. Quod fragmentum Müller quidem (l. l. 253, 2) una cum duobus aliis ad Italorum continentiam spectantibus ei frustulo, quo ex secundo Posidonii libro deprompto de more epularum Herculanearum agitur, adiunxit, sed sine ulla quam quidem videam probabili causa. Immo quae de bonis veterum Romanorum moribus hic leguntur, ea excursus Posidoniani fuisse partem etsi certissimis argumentis non potest evinci, tamen, cum uno eodemque loco et de bonis antiquorum et de perditis posteriorum Romanorum eum disseruisse consen-

taneum sit, probabile fit, idque eo magis, quod haec verba Posidonii et Diodori verba supra allata similitudinis cuiusdam vinculo cohaerent, id quod collatis locis elucebit: Athen. *πάτριος μὲν γὰρ ἦν αὐτοῖς καρτερὴ καὶ λιτὴ δίαιτα . . .* conf. Diod. XXXVII 2, 1: *τὸ μεταπεσεῖν τοὺς Ῥωμαίους ἀπὸ τῆς εὐτάκτου καὶ λιτῆς ἀγωγῆς . . .*

Quae ratiocinatio si tibi probatur, digressio praesto est, cui arta cum Sallustiana expositione intercedit necessitudo. Quod ut intellegas, quae ad rem probandam sufficiunt exscribam et sub uno conspectu ponam.

| Athen. VI, pag. 274 A. | Sall. Cat. 9. |
| --- | --- |
| *Πάτριος μὲν γὰρ ἦν αὐτοῖς (τοῖς Ῥωμαίοις), ὥς φησὶν Ποσειδώνιος, καρτερὴ καὶ λιτὴ δίαιτα* (4), *καὶ τῶν ἄλλων τῶν ὑπὸ τὴν κτῆσιν ἀφελὴς καὶ ἀπερίεργος χρῆσις, ἔτι δὲ εὐσέβεια θαυμαστὴ περὶ τὸ δαιμόνιον* (3), *δικαιοσύνη τε καὶ πολλὴ τοῦ πλημμελεῖν εὐλάβεια πρὸς πάντας ἀνθρώπους* (2), *μετὰ τῆς κατὰ γεωργίαν ἀσκήσεως.* | *Igitur domi militiaeque boni mores colebantur* (*1*)*; concordia maxuma, minuma avaritia erat* (*2*)*; . . . iurgia discordias simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici* (*3*), *domi parci* (*4*). |
| Diod. XXXVII 3 | |
| *Ὅτι τὸ παλαιὸν οἱ Ῥωμαῖοι νόμοις τε καὶ ἀγωγαῖς ἀρίστοις* (1) *χρώμενοι κατ᾽ ὀλίγον ηὐξήθησαν* (5) *ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε ἡγεμονίαν ἐπιφανεστάτην καὶ μεγίστην τῶν μνημονευομένων κατακτήσασθαι.* | Cat. 7, 3: *sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi creverit* (*5*). |
| *ἐν δὲ τοῖς νεωτέροις καιροῖς, καταπεπολεμημένων μὲν τῶν πλείστων ἐθνῶν* (6), *πολυ-* | Cat. 10: *sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti* |

*χρονίου δὲ εἰρήνης[1]) γενομένης, μετέπεσεν ἐν τῇ Ῥώμῃ τὸ τῆς ἀρχαίας ἀγωγῆς εἰς ὀλέθριον ζῆλον.*

(*6*), *nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna atque miscere omnia coepit.*

Quae sequuntur apud Diodorum comparari nequeunt cum iis, quae praebet Sallustius, cum hic ad ambitionem, ille ad luxuriam potius describendam incumbat. Verum id notatu videtur esse dignum, quod uterque de virtute aliter tum ac prius existimatum esse praedicat. Conferas enim:

Diod. XXXVII 3, 2:

*Μακάριος δ' ὑπείληπτο οὐχ ὁ ταῖς ἀρεταῖς κεκοσμημένος* (7), *ἀλλ' ὁ ταῖς προσηνεστάταις ἡδοναῖς . . . ἐπαπολαύων.*

Sall. Cat. 12.

*Postquam divitiae honori esse coepere et eas gloria imperium potentia sequebantur, hebescere virtus* (*7*), . . . *innocentia pro malevolentia duci coepit.*

Quam arto cognationis vinculo altera cum altera digressione coniungatur iam mihi videor docuisse. Quid igitur? Nempe cogimur confiteri Sallustium in eiusmodi excursibus instituendis ad Posidonium se applicuisse. Hac autem re etiam iis fides conciliatur, quae de bipertita illa expositione (Cat. 36, 4) quamvis veri similiter tamen coniecimus tantum modo, ita ut illic quoque Posidonium ei exemplo fuisse nunc constare videatur[2]).

---

[1]) Conferas quae similiter de otio pernicioso dicuntur Ing. 41, 4: *Ita quod in advorsis rebus optaverant otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit.*

[2]) Utramque digressionem eodem spectare vel inde cognoscitur, quod ad verbum fere concinunt Cat. 36, 4: . . . *otium atque divitiae, quae prima mortales putant,* . . . et Iug. 41, 1: . . . *otio atque abundantia earum rerum, quae pιima mortales ducunt.*

4. De terrarum gentiumque descriptionibus.

Progrediamur iam ad duas quae in Iugurtha occurrunt digressiones inter se cohaerentes, quarum altera est de Africae situ et gentibus, altera de fratrum duorum mirabili quodam facinore. Quas quibus rebus commotus addiderit si quaeris, cum nec haec nec illa artiore vinculo cum ipso argumento coniuncta sit, utriusque causam ab imitandi alicuius scriptoris studio profectam esse ponamus necesse est. Verum cuiusnam auctoritati Sallustium paruisse putemus? Eiusmodi enim expositiones a veterum scriptorum Graecorum historiis neque alienae fuerunt neque quidquam offensionis habuerunt apud eos, qui iure quodam ut ita dicam illas inseruerunt. Nam ut paulo altius repetam, scriptores Ionii [1]), quippe qui *ἱστορεῖν*, id est omnia quae cognitioni se offerebant investigare et indagare cuperent, non modo res et suis et prioribus temporibus gestas sed situm quoque terrarum et urbium, mores et instituta gentium, res et facta notabilia ad se pertinere putaverunt. Quo inquirendi omnia et proferendi studio, unde Hecataei et *γενεαλογίαι* et *περίοδος γῆς* natae sunt, Herodotus, quae in itineribus suis sive viderat sive audierat, ut ea narrationi de bellis Persarum institutae includeret impulsus est. Cuius vestigia Ephorum, Theopompum, Timaeum notum est pressisse atque inseruisse narrationi rerum gestarum multarum gentium descriptiones. Idem fecit tempore insequenti Polybius, qui, cuiuscumque gentis res gestas narravit, quae de eius terra et moribus comperta habebat addidit, qui etiam maiore usus diligentia ne gentes quidem peregrinas adire recusavit.

Neque autem quemquam eorum, quos attuli, imitationis facultatem praebuisse Sallustio vel inde potest intellegi, quod hic cum in Ingurtha tum in historiis origini potissimum incolarum explicandae operam dedit. Itaque iam ad Posidonium vertamus, qui Polybii historias continuavit. Ac primum quidem Posidonium in Cimbris describendis ea usum esse norma, ut primum originem prioresque sedes, deinde

---

[1]) C. Müllenhoff, l. l. I, pag. 351.

mores cultumque eorum exponeret, Carolus Müllenhoff [1]) cum ex ipsius Posidonii historiarum reliquiis tum ex iis, quae apud Plutarchum, Strabonem, Diodorum de eadem gente proferuntur, peracute collegit. Verum cum nonnullae quae in ea re versantur Posidonii historiarum partes Diodori beneficio nobis servatae sint (l. V 24—40), quam rationem ille adhibuerit, accuratius licet ostendere. Iam vero ut illas consideremus, de Gallis ita disseritur, ut heroicae aetatis memoria altius repetita primum Galatiae et Galatarum nomen ab Herculis filio ducatur (V 24), deinde de variis qui Galliam incolunt gentibus et numero incolarum, porro de terrae situ et caelo, de fluminibus et ventis, de inopia frugum et auri fertilitate exponatur (c. 25—27), denique ipsorum Gallorum habitus et vestitus, victus et cultus, ingenia et facultates, instituta et sacra, epulandi consuetudo et usus pugnandi describantur (c. 27—32, 5). Paulo strictius quidem, sed simili modo iis, quae sequuntur, Celtiberi (c. 33—38) Ligures (39), Tyrrheni (40) tractantur. Quibus descriptionibus notatu dignum est quod magnam rerum mirabilium vim sive ex incolarum vita sive ex rerum natura arcessitarum includit, veluti (V 26) ingentem vim ventorum Galliam perflantium ostendit sic praefatus: *ἴδιον δέ τι καὶ παράδοξον συμβαίνει κατὰ τὴν πλείστην τῆς Γαλατίας, περὶ οὗ* . . . Aliae res similes eodem modo proferunter V 27, 4; 31, 3; 33, 4; 34, 6. Accedit mirabilis cuiusdam facinoris narratio, quam cum Posidonius Ligurum descriptioni inclusisset (Diod. V 39, 2), Diodorus [2]) ex rerum contextu exemptam adiungere maluit IV 20, 2. Hoc enim loco feminam Ligurem in agro colendo puerum peperisse partoque abscondito in opere perseverasse Diodorus commemorat verbis praemissis his: *ἴδιόν τι καὶ παράδοξον καθ' ἡμᾶς* [3]) *συνέβη περὶ μίαν γυναῖκα γενέσθαι.*

Id igitur maxime in Posidonio observandum est eoque

[1]) l. l. II, pag. 162—189.

[2]) conf. C. Müllenhoff, l. l. II, pag. 318, 319.

[3]) Patet verba esse haec non Diodori sed Posidonii, quippe qui illud facinus ab hospite Massiliensi se comperisse profiteatur (conf. fr. 53); quod maximi esse momenti infra videbis.

in primis differt cum a Timaeo, qui in fabulis narrandis et explicandis versatur[1]), tum a Polybio[2]), qui terram describere incolasque breviter attingere satis habet, quod primum de origine gentium quantum fieri potest docet, deinde de terrae situ finibus, frugibus caelo, denique de ipsorum incolarum cultu moribus institutis accurate exponit.

Verum sentio, quid possis dicere: rationem non disparem iis adhibitam esse, quae de insulis prope Siciliam et in mari Tyrrheno sitis et de Britannia a Diodoro (V c. 7—22) prolata ad Timaeum revocanda esse Carolus Müllenloff probante Ioanne Geffken et confirmante conclusit. Quod quo iure dicas ut videamus, quae de Corsica insula (V 13—14) praebentur a Diodoro cum iis comparemus, quae idem Diodorus secutus Posidonium de Gallia Galliaeque gentibus (V 24—40) exponit. Atque primum quidem de Calari et Nicaea oppidis a Phocaeensibus et Tyrrhenis conditis commemorat, deinde de ipsius insulae magnitudine et frugibus (confer simillima V 26, 2; 34, 2; 39, 2; 40, 5), denique de incolarum numero (conf. V 25, 2), lingua (conf. 31, 1), abstinentia (conf. 34, 3) docet. Neque deest mirabilis cuiusdam rei ex incolarum vita arcessitae narratio, quam ita incipit (14, 2): *παραδοξότατον δ'ἐστὶ τὸ παρ' αὐτοῖς γινόμενον κατὰ τὰς τῶν τέκνων γενέσεις* ... Agit igitur Diodorus de ea re, de qua Posidonium simili modo narravisse constat (conf. IV 20; V 32, 7).

Porro inspiciamus quae de Britannia leguntur (V 21—22). De huius insulae neque a Baccho neque ab Hercule aditae (conf. V 24, 2) et usque ad Caesaris tempora incognitae situ forma finibus, de aëre frigido (conf. V 25, 2; 40, 5), de metallo (V 27; 35—38) ex agro saxoso (V 39, 2) effosso et a mercatoribus deportato (V 35, 5) nonnulla exhibet, plura de incolarum origine et numero (V 25, 2), de antiqua vivendi

---

[1]) Conf. ea, quae ex Timaei historiis sumpta proferuntur de Sicilia insula a Diod. V 1—6.

[2]) Quamquam ut in aliis rebus ita in terris describendis magis ad hunc Posidonius se applicuit quam ad quemquam alium, quod hic docere longum erit.

et pugnandi consuetudine (39, 6; 40, 4; 29, 1), de domibus ornatis (V 39, 5; 40, 4) et de hospitalitate (V 34, 1), de victu et cenandi more (V 28, 4; 34, 2; 39, 4; 40, 3). Additur mirae cuiusdam rei narratio, cuius ita fit initium (22, 3): *ἴδιον δέ τι συμβαίνει περὶ τὰς νήσους* . . .

Arta quae his locis est necessitudo cum Galliae descriptione quatenus huic cum reliquis quoque partibus (V 7—13, 2; 15—20) intercedat non alienum puto exquirere, ita ut nisi quae eminent et exstant non expromam.

Sardiniae incolae ab Hercule sunt oriundi, apellati ab Iolai, nepotis eius, nomine (15, 2); idem dicitur de Gallis (24, 2). — Piscium multitudo praedicatur (10, 3; 19, 4); conferas Pos. fr. 10. — Balearum incolae vinosi vini inopiam aegre ferunt, oleum sibi parant (17, 2); idem comperimus de Gallis (26, 2). — Illi urina adipe suillo mixta corpora ungunt (17, 2); Celtiberi urina corpus et dentes abluunt (33, 5). — Argentum et aurum spernunt (17, 4); apud Gallos et viri et mulieres ornatum aureum in deliciis habent (27, 3). — Domus ornatae commemorantur (12, 2; 19, 2); eaedem 39, 5; 40, 4. — In insula beata multi fontes dulcis aquae; a Diodoro XXXVI 7, 3 praedicatur *ὑδάτων πλῆθος διαφόρων γλυκύτητι*. — Aethaliae incolae ferrum arte effingunt (13, 1); Galli ornamenta et thoraces ex auro faciunt (27, 3). — Melitae incolae artes colunt (12, 2); Tyrrheni literarum studiis sunt dediti (40, 2). — Phoenices inducuntur (12, 3; 20, 1); idem commemorantur 35, 4.

Rerum mirarum narrationes subiciuntur duae, quarum altera est de nuptiarum ritu (18, 1; conf. simillima IV 20; V 32, 7), altera de more funerum (18, 2; eodem pertinent quae de epistulis in tumulis inflammatis leguntur 28, 6).

Possum plura exhibere, sed prorsus sufficiunt haec ad rem iudicandam: nempe eadem qua in Gallia Diodorus in insulis describendis usus est norma. Quid consequitur? Aut Timaeum modo fabulis enarrandis (V 1—6) operam dedisse, modo terris gentibusque accurate describendis (V 7—22), hac autem in re Posidonium omnibus Timaei vestigiis institisse — id quod non facile asseverabis

— ponamus necesse est, aut partes illas (c. 7—22) non Timaeo sed Posidonio deberi, id quod gravibus confirmatur argumentis. Ac primum quidem inde ab c. 7 non modo describendi sed etiam dicendi genus tam manifesto mutatur, ut mirum possit videri viros doctos in illos locos inquirentes floridum orationis genus Posidonianum non cognovisse. Quod ne temere dictum putetur, verborum quorundam series, quae desiderantur in Timaei historiarum fragmentis et l. V c. 1—6, leguntur l. V c. 7—22, componam cum similibus verbis, quae exstant in fragmentis Posidonii, in Diodori l. V c. 24—40, l. XXXIII—XXXVIII:

Diod. V c. 7, 6: *μεγάλης ἀποδοχῆς τυχὼν*; Diod. XXXVII 38: *μεγάλης ἀποδοχῆς ἐτύγχανον*, et XXXIII 28a, 3: *μεγάλης ἀποδοχῆς ἔτυχον*. — 7, 7 *γενέσθαι δ' αὐτόν φασιν εὐσεβῆ καὶ δίκαιον, ἔτι δὲ καὶ πρὸς τοὺς ξένους φιλάνθρωπον*; XXXIII 5, 6: *ἀνδρὸς εὐσεβοῦς καὶ δικαίου*, et XXXIV 5: *υἱὸς Τιβερίου τοῦ δὶς ὑπατευκότος καὶ . . . ἔτι δὲ* (verba autem *φιλάνθρωπος, φιλανθρωπία* Posidonius in deliciis habet). — 7, 7 et 19, 5: *διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς εὐδαιμονίας*; V 33, 4: *διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἀρετῆς*. — 8, 1: *ἀποδοχῆς μεγάλης τυχεῖν*; XXXIV 38: *μεγάλης ἀποδοχῆς ἐτύγχανον*. — 8, 1: *τὴν τοῦ πατρὸς δόξαν*; V 40, 5: *τὴν τῶν πατέρων δόξαν*. — 8, 2: *τὴν διαβεβοημένην εὐσέβειαν*; XXXIII 10: *ἡ διαβεβοημένη δόξα*. — 8, 3: *εὐσέβειάν τε καὶ δικαιοσύνην*; fr. Pos. 2: *εὐσέβεια θαυμαστὴ . . . δικαιοσύνη τε*. — 10, 1: *παρέχεται τέρψιν καὶ ἀπόλαυσιν*; XXXVII 12, 2: *τὴν ἀπόλαυσιν καὶ τέρψιν ταύτην*. — 10, 2: *πλῆθος χρημάτων λαμβάνουσιν ἄπιστον*; V. 26, 3: *ἀντιλαμβάνουσι τιμῆς πλῆθος ἄπιστον*. — 10, 3: *ἰχθύων παντοδαπῶν παρέχεται πλῆθος*; V 40, 3: *ἐκπωμάτων δ' ἀργυρῶν παντοδαπῶν πλῆθος*. — 11, 4: *τῆς μεγίστης συμφορᾶς ἔτυχον*; fr. Pos. 41: *μεγίστης τυχὼν προαγωγῆς*. — 13, 1: *πολλὴν ἔχοντες τοῦ μετάλλου δαψίλειαν*; V 40, 3: *καρπῶν ἀφθονίαν ἔχουσι*. — 13, 5: *φυσικῆς ταύτης τῆς ἰδιότητος*; V 28, 1: *τὴν φυσικὴν τῆς χρόας ἰδιότητα*. — 14, 1: *τροφαῖς μὲν χρῶνται γάλακτι καὶ μέλιτι καὶ κρέασι, δαψιλῶς πάντα ταῦτα παρεχομένης τῆς χώρας*; V 34, 2: *τροφαῖς δὲ χρῶνται κρέασι παντοδαποῖς καὶ δαψιλέσι καὶ οἰνομέλιτος πόματι, χορηγούσης τῆς χώρας τὸ μὲν μέλι παμπληθές*, . . .

— 14, 2: *παραδοξότατον δ'ἐστὶ τὸ παρ' αὐτοῖς γινόμενον κατὰ τὰς τῶν τέκνων γενέσεις*; V 26, 1: *ἴδιον δέ τι καὶ παράδοξον συμβαίνει γενέσθαι* . . . — 15, 2: *τ'ἄλλα πάντα τὰ πρὸς βίον ἀνθρώπων εὐδαίμονα;* Pos. fr. 2: *τῶν ἄλλων τῶν ὑπὸ τὴν κτῆσιν.* — 15, 4: *παρεχομένων δαψιλεῖς τροφὰς*; XXXVII 2, 4: *τροφῆς δαψιλῆ χορηγίαν.* — 15, 4; *τὴν ἐκ τῆς ἐργασίας κακοπάθειαν*; Pos. fr. 18: *τῆς περὶ τὰ ἀναγκαῖα κακοπαθείας.* — 15, 4: *βίον ἄμοιρον κακοπαθείας*; XXXIV 17: *οἰκίαν ἄμοιρον ἀτυχήματος.* — 16, 3: *οἰκίων πλῆθος εὖ κατασκευασμένων*; fr. 1: *δούλων πλῆθος εὐπρεπῶν.* — 17, 3: *φιλόγυναι*; V 26, 3: *φιλοινίαν*, 36, 3: *φιλοπονίαν*, 36, 4: *φιλοκερδίαν.* — 18, 1: *παράδοξον δέ τι καὶ κατὰ τοὺς γάμους νόμιμον παρ' αὐτοῖς ἐστιν;* V 34, 5: *ἴδιον δέ τι καὶ παράδοξον νόμιμον παρ' αὐτοῖς ἐστιν.* — 18, 2: *ἴδιον δέ τι ποιοῦσι καὶ παντελῶς ἐξηλλαγμένον περὶ* . . .; Pos. fr. 14: *νόμιμα παντελῶς ἐξηλλαγμένα καταδεῖξαι*, et XII 17, 1: *ἴδιόν τι καὶ παντελῶς ἐξηλλαγμένον νομοθετῆσαι.* — 19, 2: *δαψιλῶς τῆς χώρας χορηγούσης τὰ πρὸς τὴν ἀπόλαυσιν καὶ τρυφήν*; V 34, 2: *χορηγούσης τῆς χώρας τὸ μὲν μέλι παμπληθές*, — 19, 2: *ἐπαύλεις πολυτελεῖς*; V 39, 5: *ἔν τισιν εὐτελέσιν ἐπαύλεσιν.* — 19, 3: *δένδρα παντοδαπὰ καρποφόρα*; Pos. fr. 1: *ἐκπώματα ἀργυρὰ παντοδαπά.* — 19, 4: *οὐδὲν ἐλλιπὲς ἔχουσι τῶν πρὸς τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν ἀνηκόντων*; V 40, 3: *καρπῶν ἀφθονίαν ἔχουσιν . . . πρὸς ἀπόλαυσιν δαψιλῆ καὶ τρυφὴν ἀνήκουσαν.* — 20, 4: *τὰ παράλογα τῆς τύχης*; Pos. fr. 4: *τὸ παράδοξον τῆς τύχης.* — 21, 5: *τὸν παλαιὸν βίον ταῖς ἀγωγαῖς διατηροῦντα*; XXXIV 25, 1: *τὰ τῆς ἀρχαίας ἀγωγῆς αὐστηρά.* — *ἴδιον δέ τι συμβαίνει περὶ τὰς* . . .; V 33, 4: *ἴδιον δέ τι παρ' αὐτοῖς ἐστι περὶ τὴν . . . κατασκευήν.*

Quorum locorum similitudinem concedes tantam esse, ut explicari non possit nisi statuimus eundem Posidonium et in insulis describendis et in tractanda Gallia Diodorum exscripsisse. Quae sententia confirmatur et comprobatur eo, quod quae cum sua coniectura repugnantia Carolus Müllenhoff [1]) et Joannes Geffken [2]) tanta cum doctrina et sagacitate

---

[1]) l. l. pag. 447—472.

[2]) Phil. Unters. XIII, pag. 62—70.

explicare conati sunt ad eam optime quadrant, id quod accurate alio loco exponere meum erit. Denique, quo res videtur confici, Posidonium se sequi Diodorus nonnumquam aperit eo, quod verba quibus Posidonius sui temporis rationem ducere adamaverat haec: *καθ' ἡμᾶς* in suas historias transferre non dubitavit velut V 25, 1: *ὢν ἐστιν ἓν (ἔθνος) πρὸς Ῥωμαίους ἔχον συγγένειαν παλαιὰν καὶ φιλίαν τὴν μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διαμένουσαν* [1]) . . . et l. IV c. 20, ubi de feminae Liguris facinore ut sua aetate facto inepte dicit: *καθ' ἡμᾶς συνέβη γενέσθαι.* Hanc autem consuetudinem in insulis quoque describendis servavit: V 15, 6: *μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων*; 20, 2: *μέχρι τῆς καθ' ἡμᾶς ἡλικίας* [2]).

Iam vero, postquam Posidonium de insulis (c. 7—22) et de Gallia (c. 24—40) narrantem persecuti sumus, ad Sallustium vertamus, qui cum de terrae situ et frugibus, de incolarum origine et moribus exponat, suspicari licet illum ad eius descriptiones formandas valuisse. Quod quo iure affirmetur, ex describendi ratione Sallustiana accuratius inspecta et cum illa collata apparebit. Sicut enim Posidonius de Galliae, ita Sallustius in Iugurtha de Africae finibus situ, copia frugum aquae penuria, incolis validis laborisque patientibus breviter docet (17, 3—7), deinde aeque atque ille ad Herculis tempora regressus res in Africa usque ad suam aetatem gestas comprehendit (17, 7—19, 2), qua in re ea utitur ratione, ut quae cuiusque de gentis cum nomine et origine (18,4; 7; 10; 19, 1 Phoenices oppidorum conditores inducuntur), tum moribus et legibus (18, 1—2), cultu

---

[1]) conf. Wilam. Griechisches Lesebuch, Erläuterungen II, pag. 144, 15: Diodor überträgt alles Poseidonianische gedankenlos auf seine Zeit. 16. Die Häduer hatten sich schließlich doch gegen Cäsar empört, und ihre Freundschaft mit Rom hatte keine Bedeutung mehr, als Diodor schrieb.

[2]) Idem quod dicendi genere potissimum inspecto de Diodori l. V c. 7—22 collegimus, Alfredum Klotz in libro, quem dissertatione iam ad finem perducta edidit (Caesarstudien, Lipsiae a. 1910 pag. 134), de l. V c. 21 et 22 idcirco video statuisse, quod et V 21, 1 et V 32, 1 gentibus e regione Hercyniae silvae habitantibus nomen esse Galatis narratur.

(18, 12) et domibus (18, 8) comperta habet eodem loco perstringat et ita, quoad in gentibus deinceps tractandis potest fieri, ad illum se applicet. Quae denique de locorum gentiumque tunc Africam incolentium ordine (19, 3—6) et de Romanorum, de Iugurthae, de Bocchi imperio (19, 7—8), leguntur, iis iam argumentum spectantibus ad res propositas deflectit.

Nec desideratur apud Sallustium fabulosae cuiusdam quae ex incolarum vita arcessita est rei narratio, quales Posidonium aliquotiens interposuisse diximus sic fere praefatum: *ἴδιόν τι καὶ παράδοξον συνέβη γενέσθαι.* Nam *egregium atque mirabile facinus* Sallustius narrat (Iug. 79) Philaenorum fratrum, qui ad patriae fines augendos vitam profuderant, quod quo consilio addiderit saepe viri docti quaesiverunt. Equidem, postquam in gentibus Africae describendis ad Posidonii exemplum Sallustium se conformavisse vidimus, quin haec quoque narratio ex eiusdem scriptoris imitandi studio profecta sit non dubito. Primo quidem aspectu parum id fieri probabile concedo: quippe inseruit Posidonius eiusmodi embolia gentium descriptionibus, Sallustianus autem excursus ab Africae descriptione prorsus videtur separatus et seiunctus; sed tamen hanc si accuratius inspexeris, cohaerere cum ea aliquo pacto illa, quae de fratrum facinore leguntur, intelleges. Aras Philaenis fratribus consecratas iam commemorat c. 19, 3, ubi Africae locorum ordinem affert: de ipso autem facinore illo loco exponere mavult, quo Leptitanos attingit. Postquam enim Leptim oppidum, de quo c. 19, 1 mentionem inchoavit, a Sidoniis conditum situmque inter Syrtes cultu legibusque Sidonicis uti docuit, pergens ita: *Sed quoniam in eas regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur . . . memorare . . .* de Philaenis, quibus in eius gentis finibus arae erant consecratae, accuratius disserendi occasione utitur. A Posidonio igitur, qui in historiis terrarum gentiumque descriptiones suo iure uno contextu absolvere solitus est, hac una re Sallustius differt, quod in Ingurtha utpote in peculiari descriptione componenda excursum de Africa institutum, ne

nimis aucto congruentia aequalitasque laedatur, in duas partes secat longeque remoto loco de singula illa gente mirabilique facinore exponit.

Neque aliam frequentibus quae in historiis exstiterunt descriptionibus Sallustium adhibuisse rationem consentaneum est. Sed ut exemplis res probetur, de Sardinia et Corsica ita eum disseruisse, ut primum de nomine origine rebus gestis incolarum explicaret, deinde mores et instituta eorum commemoraret, denique ipsam insulam describeret, id Maurenbrecher quae ab Isidoro, Silio Italico, Solino de illis insulis dicuntur diligenter adhibens ex reliquiis l. II 1—11 collegit. Porro conferas quae de Ponti nomine situ, caelo ventis, dulci aqua et piscium multitudine, de incolarum origine leguntur III fr. 61—80, et quae de freto Siculo inveniuntur IV fr. 26, 27.

### 5. Excursus de Pompei Trogi terrarum descriptionibus.

Priusquam autem hanc commentationem de Sallustio institutam concludamus, non inutile videtur alius cuiusdam scriptoris qui etiam infra nobis erit commemorandus, artem terris describendis adhibitam accuratius inspicere: dico Pompeium Trogum. Hunc enim scriptorem, cuius iam supra (pag. 16) nonnullos excursus ad Posidonii exemplum revocavimus, terrarum descriptiones eiusdem scriptoris exemplo instituisse ex Iustini epitoma mihi videor posse efficere.

Ac primum quidem clarissimam l. XLI. Parthorum descriptionem consideremus. Cuius gentis postquam nomen et originem a Scythis traxit, breviter caelum (I 12) perstringit, copiosius incolarum instituta et mores exponit (II—III), ita quidem ut vel singula Posidonii de insularum et Galliae incolis dicentis memoriam afferant: II 3: *sermo his inter Scythicum Medicumque medius et utrimque mixtus*; Diod. V 14, 3: *βάρβαροι, τὴν διάλεκτον ἔχοντες ἐξηλλαγμένην καὶ δυσκατανόητον.* — II 3: *vestis olim sui moris; postea ... perlucida ac fluida;* Diod. V 40, 3: *οἱ δ᾽ἐσθῆσι πολυτελεστέραις ... κεκόσμηνται ... καθόλου δὲ τὴν μὲν ἐκ παλαιῶν χρόνων παρ᾽*

αὐτοῖς ζηλουμένην ἀλκὴν ἀποβεβλήκασιν. — II 5: *liberos suos et equitare et sagittare magna industria docent;* Diod. V 18, 4: αἱ συνεχεῖς ἐκ παίδων μελέται, καθ' ἃς ἀπὸ τῶν μητέρων ἀναγκάζονται παῖδες ὄντες συνεχῶς σφενδονᾶν. — II 7—8: *pugnant aut procurrentibus equis aut terga dantibus . . . nec pugnare diu possunt*; Diod. 34, 5: εὐκίνητοι δ' ὄντες καὶ κοῦφοι ῥᾳδίως καὶ φεύγουσι καὶ διώκουσι, κατὰ δὲ τὰς ἐν ταῖς συστάσεσι τῶν δεινῶν ὑπομονὰς πολὺ λείπονται τῶν Κελτιβήρων. — II 10: *Auri argentique nullus nisi in armis usus;* Diod. V 17, 5: ἀργυρῷ δὲ καὶ χρυσῷ νομίσματι τὸ παράπαν οὐ χρῶνται. — III 1: *uxores dulcedine variae libidinis singuli plures habent;* Diod. V 17, 3: μάλιστα δὲ τῶν ἁπάντων ὄντες φιλόγυναι προτιμῶσιν αὐτάς. — III 4: *equis bella . . . convivia obeunt;* Diod. V 21, 5: ἐκ δὲ τούτων τοὺς παλαιοὺς στάχυς καθ' ἡμέραν τίλλειν καὶ κατεργαζομένους ἔχειν τὴν τροφήν. — III 5: *Sepultura vulgo aut avium aut canum laniatus est; nuda demum ossa terra obruunt.* Diod. V 18, 2: συγκόψαντες γὰρ ξύλοις τὰ μέλη τοῦ σώματος εἰς ἀγγεῖον ἐμβάλλουσι καὶ λίθους δαψιλεῖς ἐπιτιθέασιν. — III 6: *in superstitionibus ac cura deorum praecipua omnibus veneratio est;* Pos. fr. 2: εὐσέβεια θαυμαστὴ περὶ τὸ δαιμόνιον. — II 7: *ingenia genti tumida, seditiosa;* Diod. 34, 1: τοῖς δ' ἤθεσι πρὸς μὲν τοὺς κακούργους καὶ πολέμους ὑπάρχουσιν ὠμοί. — II 8: *natura taciti, ad faciendum quam ad dicendum promptiores;* Diod. V 31, 1: κατὰ δὲ τὰς ὁμιλίας βραχύλογοι καὶ αἰνιγματίαι.

Nec minus Posidonii ingenium et indolem demonstrant quae de Scythis leguntur in epitomae l. II, II. Conferas velim haec: II 4: *Plaustris pro domibus utuntur;* Diod. V 17, 3: οἰκοῦσι δ' ὑπὸ ταῖς κοιλάσι πέτραις. — II 5: *Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus*; Sen. XC 4 verba exhibens Posidonii: *Sed primi mortalium quique . . . naturam incorrupti sequebantur, eundem habebant et ducem et legem.* — II 6: *Nullum scelus apud eos furto gravius;* Diod. V 14, 1: ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις ταῖς ἐν τῷ βίῳ κατὰ μέρος οἰκονομίαις θαυμαστῶς προτιμῶσι τὸ δικαιοπραγεῖν. — II 8: *Lacte et melle vescuntur;* Diod. V 14, 1: τροφαῖς μὲν χρῶνται γάλακτι καὶ μέλιτι καὶ κρέασι.

Apertam deinde quae in fine epitomae (l. XLIV) de Hispaniae et Hispanis leguntur Posidonii prae se ferunt morem et artem. Initium sumitur apud Iustinum a situ caelo frugibus terrae exponendis: I 4: *neque ut Gallia adsiduis ventis fatigatur;* conf. Diod. V 26, 1: *κατὰ πλείστην τῆς Γαλατίας . . . πνεῖν εἰώθασιν ἄνεμοι τηλικαύτην ἔχοντες σφοδρόδητα καὶ δύναμιν, ὥστε . . .* — I 5: *non frumenti tantum magna copia est, verum et vini, mellis oleique;* Diod. V 26 2: *οὔτ᾽ οἶνον οὔτ᾽ ἔλαιον φέρει.* — I 4: *media inter Africam et Galliam temperato colore*: Diod. V 25, 2: (*ἡ Γαλατία*) *χειμέριός ἐστι καὶ ψυχρὰ διαφερόντως.* — I 6: *abstrusorum metallorum felices divitiae*; . . . *amnes plerique divites auro, quod in palucibus vehunt;* Diod. V 36, 2: *ὄντων χαλκοῦ καὶ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου μετάλλων θαυμαστῶν,* . . . 37, 3: *ἐνίοτε δὲ καὶ βάθους ἐμπίπτουσι ποταμοῖς ῥέουσιν ὑπὸ τὴν γῆν . . . ἀπαρύτουσι τὰς ῥύσεις τῶν ὑδάτων τοῖς Αἰγυπτιακοῖς λεγομένοις κοχλίαις.* — I 7: *cursus amnium non torrentes rapidique, ut noceant, sed lenes et vineis campisque inrigui;* Diod. V 25, 3: *πολλῶν δὲ καὶ μεγάλων ποταμῶν ῥεόντων διὰ τῆς Γαλατίας καὶ τοῖς ῥείθροις ποικίλως τὴν πεδιάδα γῆν τεμνόντων.* — II 10: *marinae aurae, quibus . . . eventilato terrestri spiritu praecipua hominibus sanitas redditur;* Diod. V 10, 1: *τοῖς λουτροῖς χρώμενοι παραδόξως ὑγιεῖς καθίστανται.*

Variis denique quae Hispaniam incolunt gentibus distinctis aut a Pompeio Trogo aut ab auctore eius rem fabulosam ad ventorum vim pertinentem interpositam esse ex epitoma cognoscitur; ventorum Galliam perflantium mirabilem vim laudat Diodorus V 26, 1. — Apud Gallaecos feminae res domesticas agrorumque culturas administrant (III 7); recorderis velim eorum, quae apud Diodorum de Liguribus feminis in agro operantibus proferuntur. — Idem Gallaeci (III 8) nullum telum probant, quod non aut Bibili fluvio aut Chalybe tinguatur, quia aquae temperamento ferrum acrius reddi putant; eadem de causa Celtiberos ferrum in terram defodere Diodorus narrat V 33, 4.

Mos igitur et ars Posidoniana, qualis exstat apud Diodorum, tam manifesto deprehenditur, tam aperte vel singula

respiciuntur, quae de Gallis Posidonius exhibuit, ut nostro iure videamur concludere sicut Sallustium ita Pompeium Trogum quoque in descriptionibus instituendis ad Posidonii de aliis gentibus disserentis exemplum se applicuisse [1]).

Sed una servata est in epitoma Iustini expositio, quam non more solum et exemplo Posidonii institutam sed ipsam ex historiis eius depromptam esse verisimillimum reddi potest: dico eam quae est de Iudaeorum terra (l. XXXVI 3, 1). Quorum non solum res gestas mores instituta Posidonium explicavisse (Diod. l. XXXIV 1 sq.) sed etiam terram descripsisse demonstrare licebit. Diodorus enim postquam secutus Hecataeum de Hyperboreis (II 47) narravit, Posidonium in manus sumit, ut Arabiam desertam describat (c. 48) [2]), id quod ex orationis genere intelleges: 48, 1: *πολλοῖς δὲ καὶ παντοδαποῖς ἔθνεσι διείληπται*; conf. Diod. V 11, 1: *μισθοφόρων ὄντων πολλῶν καὶ παντοδαπῶν τοῖς ἔθνεσιν.* — 1: *νεμόμενοι χώραν τὴν μὲν ἔρημον, τὴν δὲ ἄνυδρον, ὀλίγην δὲ καρποφόρον;* Diod. V 19, 1: *ἔχει δὲ χώραν καρποφόρον, πολλὴν μὲν ὀρεινήν, οὐκ ὀλίγην δὲ πεδιάδα κάλλει διαφέρουσαν.* — 3: *χρῶνται δαψιλέσι ποτοῖς*; Diod. V 34, 2: *τροφαῖς δὲ χρῶνται κρέασι παντοδαποῖς καὶ δαψιλέσι.* — *ἔπηλυν ἡγεμόνα τὸ παράπαν οὐ προςδέχονται;* Diod. V 17, 4: *ἀργυρῷ δὲ ... τὸ παράπαν οὐ χρῶνται.* — 4: *διατελοῦσι δὲ τὴν ἐλευθερίαν διαφυλάττοντες ἀσάλευτον*; Diod. V 15, 3: *συνέβη τὸν χρησμὸν ... αὐτονομίαν τοῖς ἐγχωρίοις ἀσάλευτον φυλάξαι.* — 5: *πολλὰς καὶ μεγάλας δυνάμεις*; Diod. V 11, 1: *πολλοὺς καὶ μεγάλους πολέμους.* — 6: *ἐξ ἧς λαμβάνουσιν οὐκ ὀλίγας προςόδους*; Diod. V 10, 2: *ἐξ ἧς λαμβάνουσιν ... μεγάλας προςόδους.* — 6: *ποταμῶν μεγάλων τῇ γλυκύτητι διαφόρων;* Diod. XXXVI 7, 3: *ὑδάτων πλῆθος διαφόρων τῇ γλυκύτητι.* — 9: *ἐξ οὗ πρόςοδον ἁδρὰν λαμβάνουσιν, οὐδαμοῦ μὲν*

---

[1]) conferas quae adnotavi pag. Bl.

[2]) Confer Th. Reinach, Textes rélatifs au Iudaïsme, Paris (a. 1895) pag. 73 adn. 1: ... les §§ 2—4 (l. XIX, 98—99) qui répètent mot pour mot le passage correspondant du n° 35 (l. II, 48—49). Cette répétition textuelle prouve que Diodore copie ici littéralément un auteur plus ancien, peut-être Posidonios.

*τῆς ἄλλης οἰκουμένης εὑρισκουμένου τοῦ φυτοῦ τούτου, τῆς δ' ἐξ' αὐτοῦ χρείας* . . .; Diod. V 10, 2: *ἐξ ἧς λαμβάνουσιν . . . μεγάλας προσόδους. οὐδαμοῦ γὰρ τῆς οἰκουμένης τῆς στυπτηρίας γινομένης καὶ πολλὴν χρείαν παρεχομένης* . . .

Iam conferas velim quae Diodorus de balsamis invenerat exposita apud Posidonium [1]) cum Iustino:

| Diod. II 48 (et XIX 98). | Iust. XXXVI, III 1. |
| --- | --- |
| 6. *λίμνη τε μεγάλη φέρουσα πολλὴν ἄσφαλτον.* 9. *γίνεται δὲ περὶ τοὺς τόπους τούτους ἐν αὐλῶνί τινι* (1) *καὶ τὸ καλούμενον βάλσαμον, ἐξ οὗ πρόςοδον ἁδρὰν λαμβάνουσιν* (2), *οὐδαμοῦ μὲν τῆς ἄλλης* (3) *οἰκουμένης εὑρισκουμένου τοῦ φυτοῦ τούτου, τῆς δ' ἐξ αὐτοῦ χρείας* . . . | *opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere* (*2*), *quod in his tantum* (*3*) *regionibus gignitur. est namque vallis, quae continuis montibus velut muro quodam ad instar hortorum clauditur* (*1*) *. . .; in ea silva est . . . in ea regione latus lacus est . . .* |

Sane quoniam lacus asphaltides apud Iustinum brevius perstringitur, perpauca sunt quae possunt comparari; sed sufficiunt, puto, ad demonstrandum, quae hoc loco a Iustino servata sunt, ea nescio an medio intercedente scriptore Graeco [2]) fluxisse ex historiis Posidonii.

## 6. Conclusio.

Pauca habeo quae dicam de certis illis verbis, a quibus Sallustius aliquotiens excursuum initium sumit. Quae una cum digrediendi consuetudine a Posidonio eum mutuatum

---

[1]) Confer Th. Reinach, l. l. pag. 256 adn. 3: Comparer les descriptions d'Aristote (n° 4), Diodore-Posidonios (n° 33—35 bis), Strabon . . .

[2]) Utrum in hominum moribus et terrarum situ et frugibus describendis ipsius Posidonii an Timagenis, quem auctorem eius putant, vestigia Trogum Pompeium presserit certo dijudicari nequit. Verum id mihi videtur notabile, quod Trogus operis quod dicunt „de animalibus" reliquiis non eius ingenii scriptorem se praebet, ut in historiis (ep. IX 8, 1) Philippi et Alexandri comparationem absolutissimam Posidonii exemplo effecisse eum putemus.

esse etsi neque ex huius historiarum reliquiis neque ex libris Diodori, qui iisdem semper verbis transitum facit, potest effici, tamen id quidem videmus, Polybium, cuius historias continuavit Posidonius, nonnumquam similiter incipere. Sed ipse tibi persuadeas velim:

Cat. 5: *De cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam;* Pol. X 2: *μέλλοντες ἱστορεῖν τὰ πραχθέντα Ποπλίῳ . . . ἀναγκαῖον ἡγούμεθα τὸ προεπιστῆσαι τοὺς ἀκούοντας ἐπὶ τὴν αἵρεσιν καὶ φύσιν τἀνδρός.* — Iug. 95: *Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est de natura cultuque eius paucis dicere;* Pol. IX 22, 7: *ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν πραγμάτων διάθεσις εἰς ἐπίστασιν ἡμᾶς ἦχε περὶ τῆς Ἀννίβου φύσεως, ἀπαιτεῖν ὁ καιρὸς δοκεῖ . . .* — Iug. 79: *Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur . . . memorare;* Pol. XXXI 23: *Τῆς δὲ κατὰ τὴν διήγησιν ἐφόδου καὶ τῶν καιρῶν ἐφεστακότων ἡμᾶς ἐπὶ . . . βουλόμεθα συνεκπληρῶσαι.*

Porro observes velim quod concludit quoque Sallustius nonnullas digressiones aequo modo quo Polybius. Conferas haec:

Cat. 19, 6: *Nos eam rem in medio relinquemus. de superiore coniuratione satis dictum;* Pol. III 39: *Ἀφεμένοι δὲ τούτων τρεψόμεθα πρὸς τὸ συνεχὲς τῆς προκειμένης ἡμῖν διηγήσεως.* — Iug. 42: *Sed de studiis partium et omnis civitatis moribus si singillatim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deseret. quam ob rem ad inceptum redeo;* Pol. II 63, 3: *Πολλὰ δὲ καὶ ἕτερα τῷ συγγραφεῖ τοιαῦτα, καὶ κατὰ τοὺς ὑποκειμένους καιροὺς καὶ παρ' ὅλην τὴν πραγματείαν κατατέτακται, περὶ ὧν ἀρκεῖν ὑπολαμβάνει κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς πρόθεσιν καὶ τὰ νῦν εἰρημένα.* — Iug. 19, 8: *de Africa et eius incolis ad necessitudinem rei satis dictum;* Pol. IX 20, 10: *καὶ περὶ μὲν τούτων ἐπὶ τοσοῦτον ἡμῖν εἰρήσθω.*

Vides igitur certas illas quibus Polybius utitur verborum formulas similes esse iis, quas Sallustius praeponit quibusque ad propositum deflectit. Quam similitudinem ita ex-

plicare fortasse licebit, ut non Polybii vestigiis Sallustium institisse statuamus, quamquam huius scriptoris historias ei ignotas fuisse non est cur putemus, sed Posidonii auctoritati Polybii parentis.

Iam vero, ut quae effecimus comprehendamus, contigisse mihi arbitror, ut demonstrarem Sallustium plerosque excursus suos Posidonii exemplo institutoque inseruisse. Consentit igitur quod effecimus cum Curtio Wachsmuth, qui scripsit haec (Einleitung in das Studium der alten Geschichte pag. 662): „Von Posidonius hat er die philosophischen Einleitungen[1]), die ihm gar nicht natürlich zu Gesichte stehen und sich in einem kleinen Kreise herumdrehen; mit Posidonius teilt er die weitausholenden sittengeschichtlichen

---

[1]) C. Wagner in dissertatione, quam scripsit de Sallustii prooemiorum fontibus (Lipsiae a. 1910), demonstravit Sallustium et coniurationis Catilinariae et belli Iugurthini prooemii capitibus primo et secundo fontem adhibuisse Posidonii Protrepticum, in quo quae hic uno contextu tractavisset, illum, ne eadem repeteret, in duas partes divisisse. Quam quaestionem ita absolvit, ut cum Protreptico Galleno, cuius magna pars Posidonio debetur, porro cum iis, quae Vitruvius, Cicero, Seneca, Manilius, alii ex hoc scriptore deprompserunt, eorum, quae Sallustius praebet, singula compararet. Neque vero sententias nonnullas e Posidonio depromere Sallustium satis habuisse sed usum esse enarrandi ratione quadam simillima ei, quam Posidonius in deliciis habuit, cognosces, si coniurationis Catilinariae prooemii c. 2, 1—2 cum eo excursu comparaveris, quem Sallustium illius exemplo instituisse supra (pag. 20) vidimus:

| Cat. c. 2, 1: | Cat. c. 6, 1: |
|---|---|
| *igitur initio reges . . . divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant:* | *Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troviani . . .* |
| *etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis placebant.* | c. 9: *concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.* |
| *postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere . . .* | c. 10: *sed ubi . . . reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit . . .* |

Überblicke, mit ihm die Vorliebe für ethnographische und geographische Exkurse, mit ihm die psychologischen Analysen und eindringenden Charakterschilderungen.“ Verum non auctoritatem solum Posidonii et exemplum in excursibus inserendis Sallustium secutum esse sed etiam in rebus narrandis nonnulla ex libris eius deprompsisse constat. Luculentissime enim demonstravit E. Wendling[1]) verba Caesaris quae in Catilina habentur inde a c. 51, 37 usque ad c. 51, 39 Posidonio deberi. Quodsi deinde quae collegit ita complexus: „Die Vergleichung lehrt, daß Sallust — direkt oder indirekt — von Poseidonius abhängig ist . . .“ Varrone medio intercedente ex Graeco fonte illa fluxisse pro certo ponit, iam iis, quae de excursibus Sallustianis disputavimus, nixi ex ipsius Posidonii libris ea derivata esse recte statuemus, praesertim cum Sallustium, quem Caesaris partibus favisse constet, Varroniano quodam opere usum esse parum sit probabile.

## II. De Livii digressionibus.

Iam progrediamur ad Titi Livi qui supersunt libros, quos qui diligenter perscrutatur varii generis digressiones haud ita quidem amplas eoque minus ut in tot libris conspicuas sed tamen frequentes deprehendit. Quibus in inserendis et instituendis quam Livius servaverit normam quatenusque aliorum scriptorum exemplum respexerit nunc inquiramus. Qua in quaestione ita versabimur, ut primum qui ad hominum mores describendi, deinde qui ad res narrandi rationem pertinent excursus consideremus, denique eos, quibus ipsi narrationi interpositis res a proposito alienae tractantur.

### 1. Qua ratione in moribus designandis Livius sit usus.

Ac primum quidem de virorum natura indole, corporis ingeniique facultatibus Livius non excursibus ab argumento

[1]) in Hermae vol. XXVIII (a. 1893) pag. 345.

factis sed ita docet, ut afferendo quid alii de his hominibus exhibuerint, quid ipsi dixerint, quid fecerint, nobis de iis iudicare relinquat; eo modo de Camillis, Scipionibus quid existimandum sit ex ipsa narratione cognoscimus. Quod luculentissime demonstravit J. Bruns[1]), qui idem rationem illam a Thucydide institutam annalium scriptores Romanos veteres servavisse etsi non evicit tamen non sine veritatis specie coniecit.

At praebentur apud Livium complures quibus de viri alicuius insignis virtutibus aut vitiis copiosius agitur loci. Quos si accurate inspexeris, cum morum descriptionibus absolutis, quibus prima quidem specie non videntur esse dissimiles, nullo pacto posse comparari intelleges. Singulas enim virtutes vel singulas facultates Livius praedicat et eas quidem, quibus quae modo narravit illustret et perspicua reddat: usque eo de universis virorum moribus et ingeniis non disserit. Comparare licet Thucydidem, qui IV 81, 2 de Brasidae iustitia commemorat, videlicet ut causam afferat, cur Chalcidenses hunc quem mitterent maxime dignum duxerint. Verum ut ipse de hac re tibi persuadeas, singulos Livii locos breviter recensebo:

De Valerii quidem explicat comitate et humanitate (VII 33, 1—4), ex qua militum alacritatis pugnandique studii causam repetit. De C. Terentii Varronis (XXII 25, 18)[2]) origine et vita docet, ut perspiciamus, quomodo hic unus animum potuerit inducere, ut talem legem suaderet. De Hieronymo, Siciliae rege (XXIV 5, 1 – 5), ea eduntur, a quibus exitium eius profectum est. Porro quae de Antiochi Epiphanis moribus (XL 20) comperimus, ea simili consilio Livium addidisse etsi, quia ille liber non integer ad nostram aetatem permansit, demonstrari nequit, tamen licet conicere. Idem de iis, quae de Hannibale leguntur, statuendum est; nam XXI 4, 3—10 de istis virtutibus et vitiis Livius monet,

[1]) Quae ab hoc viro docto in libro: Persönl. in der Geschichtsschreibung der Alten, Berol. a. 1898, de describendi ratione Liviana disputata sunt, ea comprehendisse satis habebo.

[2]) Quem locum omisit J. Bruns, l. l.

quibus Hannibal ut Hasdrubalis milites per triennium totos sibi se darent perfecit; et XXVIII 12, 1—9 ea exhibet, quibus intellegitur vel eo anno, quo opes eius deminuebantur, Hannibalem tantum sui terrorem Romanis inicere potuisse, ut eum aggredi non auderent. Luce autem clarius quam longe Livius a morum descriptionibus abhorreat apparet ex XXVI 19, 3—9, ubi secutus Polybium (X 2—5) de P. Scipione nonnulla praebet. Nam cum Polybius id agat, ut quid de Scipione existimandum sit efficiat, Livius facta quaedam subicere satis habet, ex quibus cognoscatur, qua de causa Romani Scipioni iuveni admodum, id quod modo rettulit, imperium dederint. Id quoque commemorabo, Thucydidem, quem simili consilio de Brasidae iustitia monuisse supra dixi, ab iisdem fere verbis excursus initium sumere, a quibus Livius hic incipit: *Fuit enim Scipio . . .*, conf. Thuc. IV 81, 2: *τό τε γὰρ παραυτίκα ἑαυτὸν παρασχὼν δίκαιον . . .* Utriusque scriptoris excursus quam non a narratione possint seiungi vel ex his verbis apparet.

Nihilo magis Livius leges quibus se obstrinxit neglegit iis locis, ubi de virorum quorundam inductorum origine et moribus paucis monet. Pertinent huc, ut quae brevius aliquotiens dicta sunt omittamus, quae de Quinctio (III 11, 16) et de Marcio (XXV 37, 2—3) praefatur. Iterum si non annalium scriptores Romanos at certe Thucydidem licet comparare, qui Cleonem (III 36) nonnullis verbis inducit, scilicet quo melius quae de hoc narraturus est intellegantur. Et eodem consilio Livius de Quinctii exponit ferocitate et facundia, de belli peritia ingenioque Marci, quippe qui non eius sint momenti, ut quid de iis existimandum sit ipsa narratione possit doceri. Quare simplicem annalium scriptorum rationem Livium non tam neglegere quam supplere concedes.

At quid dicamus de compluribus istis locis, quibus virorum aliquorum mortuorum vitam Livius persequitur? Nonne hic a solita ratione discedit? Quibus de elogiis quid iudicandum sit priusquam statuamus, accuratius ea perscrutemur. Ac primum quidem occurrit I 48, 8, ubi

Servium Tullium per quattuor et quadraginta annos bene et moderate rem publicam regendo floruisse comperimus; M. Furium Camillum, ante exilium, in exilio, post exilium patriae subsidium, reversum patriam restituisse et viginti quinque annos praecipuo habitum honore vixisse legimus VII 1, 8; Q. Fabium Maximum, qui duos et sexaginta annos auguratu fuerit praeditus, proeliorum victoriarumque numero cum patre et avo sit aequandus, cunctando rem publicam restituisse profert XXX 26, 7—9; P. Scipionem, cuius diversa vitae spatia inter se comparat, praecipuam bello Punico confecto gloriam tulisse praedicat XXXVIII 53, 9—11. Maximi autem ad consuetudinem hanc Livianam explicandam momenti ea sunt, quae de Attalo rege mortuo XXXIII 21, 1 leguntur. Sequitur enim hoc loco Polybium (XVIII 41), qui de eodem viro mortuo exponit. Sed hic ingenii morumque eius imaginem effingere studet, ille, quas res in primis notatu dignas Attalus perfecit, iis commemoratis regii nominis magnitudini semper animum eum aequavisse satis habet praedicare: adeo quid de rege ipso iudicandum sit non docet. Annumerandum est his Ciceronis illud elogium, quod ex libris Livianis Seneca deprompsit (suas 6, 22). Cuius oratoris postquam vitia et virtutes, fortunam prosperam et res adversas perpendit, propter opera immortalia magnum et memorabilem eum Livius nominat.

Omnium igitur Livii elogiorum id proprium esse vides, ut certa quaedam tempora, qui maioris fuerunt momenti, afferantur quaeque in iis gestae sint res summae praedicentur. Quare nec laudationes nec morum descriptiones, immo vero *consummationes totius vitae* quas Seneca suas. 6, 21 vocat ea existimanda esse intellegitur. Nam cum virorum res gestas in primis memoratu dignas breviter comprehendit, nihil Livius agit nisi ut vita eorum nunc peracta quanti aestimanda sit doceat. Quod dubitari nequit quin faciat annalium scriptorum more, cuius prima deprehendimus vestigia apud Thucydidem, qui postquam Cleonem et Brasidam mortuos rettulit (V 16), vita eorum quantum valuerit paucis adnotat.

Sed duae sane in libris Livianis insunt descriptiones consummatae et absolutae, quae quomodo explicandae sint videamus. Atque altera quidem occurrit IX 16, 12—19, ubi de Papirii Cursoris, quem triumphum adeptum esse rettulit, et viribus corporis ingeniique facultatibus et magna bellandi virtute plura praebentur quam ad intellegendum tantum honorem ei tributum flagitantur. Prima quidem parte nisi ea, quibus triumpho eum dignum fuisse apparet[1]), non exhibentur, sed quae procedente excursu, cui vel duo facta inseruntur ad severitatem eius imperiique vim illustrandam idonea, proferuntur, ea minime illuc spectant. Quem ducem quare adeo Livius laudaverit, id in extrema descriptione cognoscitur, ubi affirmavisse nonnullos Alexandro Magno, si bellum Europae intulisset, Papirium non cessurum fuisse adnotat. Quibus verbis deflectere Livium manifestum est ad comparationem insequentem, ad quam levissimorum Graecorum eum incitaverant iniqua iudicia, quibus Romani non Alexandro modo sed etiam Parthis erant postpositi. A pravis his iudiciis Romanos tuendi facultatem iam diu quaesitam hic, ubi virum *illius aetatis, qua nulla virtutum feracior fuit*, praestantissimum nobis proponit, sibi oblatam existimat. Id enim in primis enititur et contendit, ut illius temporis Romanos duces Alexandro pares fuisse demonstret eoque cum maxime iudicia illa refellat. Quod ut efficiat, cum de omnibus ducibus c. 18, 8 inductis accurate exponere longum sit, de unius huius Papirii inter ceteros excellentis bellandi virtute uberius disserit atque hoc modo excursus subsequentis tamquam fundamentum ponit.

Ipsius autem comparationis priusquam initium sumit, prorsus hic, quibus in rebus exponendis se obstrinxit legibus, earum se oblivisci sibi conscius ut rationem probet enititur; deinde quaerit, *quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit,* cui quaestioni statim ita respondit, ut et militum copias et imperatorum

---

[1]) Concinunt verba a quibus excursus initium sumitur haec: *Et fuit vir haud dubie dignus omni bellica laude.*

ingenia et belli fortunam, quae plurimum in bello valeant, invictos praestitura fuisse Romanos affirmet. Quod ut comprobet, praestitisse Alexandro non unum sed omnes illius aetatis consules et dictatores, deinde belli fortunam magis Romanis favisse quam Alexandro, denique copiarum et auxiliorum multitudine prorsus Romanos eum superavisse disertissime exponit. Concludit haec verbis caelesti quodam instinctu mentis prolatis, quibus vaticinantis in modum Romanos, quamvis insidiae et sagittae iis timendae sint, aperta acie semper, dummodo civilibus bellis abstineant, canit fore invictos.

Livius tanto studio Romanos praedicans, qui cum ne id quidem certum sit in quos invehatur scriptores, utrum quae praebet ipse composuerit an apud alios invenerit dijudicari nequit; verum cum non primus Livius tam longe ad Romanos defendendos a re declinaverit, sed annalium scriptores si non veteres at certe recentiores, quos in rebus narrandis Romanis favisse constat, evagandi licentia usi sint, non falso opinabimur iam apud hos similes excursus exstitisse, praesertim cum Livius ipse verbis (IX 16, 13): *victoremque cursu omnium aetatis suae fuisse ferunt, et seu virium vi seu exercitatione multa cibi vinique eundem capacissimum* ... auctores suos iam de Papirii virtute praedicasse indicet.

Longe alio referenda sunt quae de M. Porcio Catone censuram petente l. XXXIX 40, 4—12 leguntur. Cuius viri Livius adeo non facta quaedam exhibet, quibus ad mundus illud suscipiendum idoneum eum fuisse probetur, ut morum descriptionem ad res narratas nihil pertinentem interponat. Copiose enim quid sentiat de hoc viro expromit; comperimus primum, quanta fuerit animi et ingenii vi, parsimonia et patientia laborum, deinde qua non solum rerum urbanarum et rusticarum peritia praestiterit sed etiam scientia iuris et belli, denique quid et orationibus et scriptis viros nobiles in primis insectando perfecerit. Cuius laudationis quae causam dederint si quaeris, equidem pro certo affirmaverim, sicut Thucydidem (I 138) admiratione Themistoclis ut ingenii

eius et naturae vim praedicaret adductum esse vidimus, ita Livium summo quo tempora antiqua et maiores complexus est amore impulsum esse, ut Catonem, quamquam de virtutibus eius ipsa narratione docendi facultas data erat, excursu a proposito facto laudaret atque eo modo prisci vigoris probitatis prudentiae exemplum aequalibus suis ad imitandum proponeret [1]).

### 2. Quam in rebus narrandis et exponendis adhibuerit normam.

Sed ut ad eos excursus pergamus, qui in rebus narrandis occurrunt, non aliam his atque hominibus describendis Livium servavisse rationem licet exspectare. Ac primum quidem, sicuti numquam de virorum natura et indole quaestionem instituit, ita, quae quovis loco ab auctoribus tradita delegit, ea haud incertus profert, neque umquam qua res explicet quaestionem interponit. Verum haec non recte tibi fortasse videantur affirmari, quia complures quibus in res narratas inquiratur excursus inveniantur. Sane quidem fit ut Livius, quae auctores tradiderunt, ubi ea nimis a fide aliena aut inter scriptores quos sequitur discrepantia repperit, facere non possit, quin paucis suam sententiam aperiat. Neque tamen horum locorum quisquam eiusmodi est, ut cum quaestionibus illis, quibus Polybius de rebus narrandis quaestionem movet, videlicet eo consilio, ut quae effecerit, iis nixus ad propositum revertatur, possit comparari. Immo vero cum ad narrationem rerum nihil omnino valeant,

---

[1]) Discessisse fortasse Livium tam longe a solita describendi consuetudine secutum eius scriptoris auctoritatem, quem huic historiarum parti fontem adhibuerit, suspicatus est J. Bruns, Persönlichkeit, pag. 52, scribens haec: „Möglich, daß die Bedeutung des Mannes den Livius zu einem Ausflug in ein fremdes Stilgebiet veranlaßt hat. Ebenso berechtigt aber ist . . . die Vermuthung, daß die Eigenart dieser Charakteristiken auf der Benutzung einer in subjektivistischem Stile gehaltenen Quelle beruht." Quae ratio quamvis alteri digressioni conveniat, tamen hic probari nequit; ex illo enim quem de Catonis vita Nepos edidit libro excursum excerptum esse docuit F. Leo, l. l. pag. 170.

adnotationes [1]) ut ita dicam existimandae sunt. Quarum adnotationum duo genera distinguantur: aliis enim locis quae singula in narrationem non recepit in fine eius addit ibique aut in dubio ponit aut omnino refellit; aliis autem locis, quae in narratione pro certo posuit, ea in dubium vocat vel vocare videtur.

Prioris generis adnotationes ut breves ita multae sunt: I 18, 2—4 auctores quidam, qui Numam Pompilium a Pythagora eruditum esse narraverant, refutantur; I 39, 5—6 qui Servium Tullium a serva natum esse rettulerant; IV 16, 3—4 qui Minucium a patribus ad plebem transiisse; IV 17, 3—5 qui legatos non iussu regis sed errore a Fidenatibus interfectos esse asseveraverant, breviter refelluntur. In dubio relinquitur IV 23, an idem consules insequenti anno refecti sint; VIII 40 incertum est, Cornelius Fabius belli gerendi an ludorum causa dictator creatus sit; IX 15, 8—11 ambigitur, utrum Lucius Cornelius dictator una cum L. Papirio Cursore an solus Samnitum imperatorem sub iugum miserit; XXI 38, 2—9 Hannibali Alpes transgresso quantae copiae fuerint quaeritur; eum neque per Poeninum neque Cremonis iugum transiisse affirmatur. Haud ita differunt quae XXI 15, 3—6 ad temporis consensum efficiendum, postquam annorum ordinem a se non observatum esse animadvertit, exhibet.

Eodem rerum contextu magnam illam de Gallis expositionem commemorabo ab adnotationibus his non multum distantem (V 33, 4—35, 3). Postquam enim Clusium a Gallis obsideri Livius narravit, eos scriptores, qui tunc primum Gallos Alpes transiisse contenderant, refellit, cum docet ducentis annis ante quam Clusium oppugnatum sit Gallos

[1]) Conferas quae de eiusmodi adnotationibus profert B. Keil in libro: Die solon. Verfass. im Aristot. „Ἀθηναίων πολιτεία“, Berol. a. 1892 pag. 179: „Es ist mir eine geläufige Anschauung, aber ich weiß nicht, wem ich sie verdanke, daß die griechischen und römischen Autoren deshalb so häufig größere und kleinere Abschweifungen vom geraden Wege der Darstellung machen müssen, weil die Antike die unkünstlerische Anmerkung in der wissenschaftlichen Darstellung nicht kennt.

in Italiam descendisse et Etruscorum exercitus fudisse. Quorum deinde opes lateque patens imperium describendi occasionem arripit, nimirum ut explicet, quomodo fieri potuerit, ut eo de quo agit tempore Romani Gallis succumberent (33, 7—11). Denique quae ipse accepit de Gallorum incursionibus addit (c. 34). Eo igitur in primis expositionem hanc ab adnotationibus illis differre in aperto est, quod quae refutantur et corriguntur ad priora tempora pertinent. Quod quo consilio Livium interposuisse putemus? Sane quae vulgata opinione de Gallorum incursionibus falso credebantur voluit reicere; in primis autem id mihi egisse videtur, ut mediae illi descriptioni ad Romanorum cladem excusandam idoneae locum pararet.

Adnotationes autem illas non primus Livius adhibuit. Annalium enim scriptores Romanos in fine narrationis alia a fide nimis aliena reiecisse, alia inter scriptores discrepantia in dubio posuisse docent et Diodorus, qui in ea historiarum parte, ubi annales Romanos exscribit, adnotationibus utitur, velut VIII 14, 1 Numam contendisse nonnullos Pythagorae fuisse discipulum commemorat et XIV 116, 9 num matronis Romanis honos habitus sit in incerto relinquit, et Dionysius Hal., qui (I 59) Numam, id quod Livium fecisse vidimus, a Pythagora eruditum esse negat: quo apparet easdem saepe adnotationes una cum narratione annalium scriptores tradidisse [1]).

Idem fere quod de locis adhuc allatis, qui quam non ad res narratas valeant intellegitur, statuendum erit de paucis aliis, amplioribus quidem et qui ad narrationem nonnihil videantur pertinere.

Tria eius rei exempla se offerunt. Q. Fabium Maximum

---

[1]) Conf. Ed. Schwartz, Enc. Real. V, col. 956, 24. „Livius, der die Geschichte vornehmlich als Künstler behandelt, streut kurze Notizen ein, ohne sie einzuarbeiten; er will gewissermaßen ab und zu dem Leser einen raschen, nur interessanten, nicht belehrenden Einblick in das Gewoge der Überlieferung geben . . . col. 957, 1: Eins ist aber unter allen Umständen zu beachten: die Variantenangaben sind tralaticisch, . . .“

enim XXII 31, 8 non dictatorem, id quod *omnium prope annales* tradiderant et ipse haud incertus narravit (8, 6), sed pro dictatore adversus Hannibalem bellum gessisse monet et probat. Etiam magis autem miramur, si, quamquam errorem cognovit sibique adnotandum esse existimavit, tamen, quae ita correxit, iis nullo pacto utitur [1]) sed iterum de Fabio ut dictatore narrat (XXII 34). Potest ambigi, utrum hanc quoque adnotationem apud annalium scriptores invenerit an Augusti tempore viri iuris consulti titulo illo offenderint Liviusque errorem adnotaverit [2]).

Similiter Livius agit IV 20, 5—11, ubi postquam victoriam a Cornelio Cosso anno 317 reportatam esse narravit, se comperisse commemorat Augustum in thorace linteo scriptum legisse Cossum consulem, id est anno 327, vicisse. Cuius variae memoriae quae causa sit postquam frustra detegere studuit, ad Augusti sententiam videtur accedere. Nec tamen hac notitia, quam ut insereret nescio an studium erga Augustum eum impulerit, efficitur, ut ad propositum reversus ullo modo quae collegit respiciat (c. 31—34), immo vero, quasi nullam eiusmodi quaestionem movisset, res insequentes narrat.

Accedit magna et clarissima quae in libro XXXVIII. occurrit expositio. In quo postquam auctore usus Valerio Antiate de celebri Scipionis causa protulit, c. 55, 8 narrandi cursum interrumpit, ut argenti et auri summas a se ipso relatas in dubium vocet et in errore eas versari coniciat: scilicet maiores Antias tradidit summas, quam ut silentio eas praetereat. Neque tamen id satis habet, sed, quod in narrationis fine facere solet, multa de Scipionis vita et morte ab aliis scriptoribus commemorata hic ita subicit, ut quaecumque ut non satis convenientia cum illis, quae Antias

---

[1]) Conferas illum excursum, qui est de Gallis (V 33, 4—35, 3), quo quae effecit non impediunt, quin ipse secum dissentiens paulo post (37, 2) Gallos *invisitatum atque inauditum hostem* appellet. (Lachmannus. l. l. I, pag. 23.)

[2]) conf. Enc. Real. VI. col. 1818.

de Scipione praebuerat, in narrationem recipere non potuit, adnotandi ea utatur occasione. Deinde quae effecit vel videtur effecisse nullo pacto respiciens c. 58, 1 ad Antiatem revertitur et res ante interruptas exponere pergit [1]).

Tres illae de quibus egimus expositiones quam nihil ad narrationem pertineant ipse vides. Quare cum pragmaticorum ut ita dicam historicorum quaestionibus comparari nequeant, cum Livium ipsum mirum hunc adnotandi morem induxisse non fiat probabile, in his quoque locis annalium scriptorum consuetudinem respicere eum potuisse putaverim.

Paulo gravioris ad narrationem momenti sunt quae leguntur VI 12, 2—6. Hic enim rem tam miram Livius protulit, ut facere non possit, quin causas eius sciscitetur. Quaerit autem, quomodo fieri potuerit, ut Volsci et Aequi totiens victi tantas copias cogerent, veritus haud dubie, ne de fide huius nuntii quis dubitet, id quod sibi ipsi accidisse profitetur. Cuius rei variis causis allatis in dubio relinquens, utrum quae coniecit probanda sint necne, ad res interruptas revertitur ita: *Ingens certe . . . Volscorum exercitus fuit.* Discessisse Livium hoc uno loco a nuda narrandi ratione non est cur miremur; ceterum si non annalium scriptorem aliquem at certe Thucydidem in eadem fere causa necessitudini constat paruisse. Qui (VIII 87, 2—5) Tissaphernes quo consilio usque Asbendum naves duxerit quaerit, ita ut iis, quae alii de ea re disceptaverant, praemissis quid ipse de itineris consilio sentiat aperiat, qua quaestione absoluta verbis ad propositum transit his: *Ἐς δ᾽ οὖν τὴν Ἄσβενδον ἥτινι δὴ γνώμῃ ἀφικνεῖται.*

Livius sicut de virorum insignium indole et moribus ita de temporum indole et rei publicae statu non excursu a proposito facto sed eo modo edocet, ut singula narrando nobis illorum imaginem cogitatione effingendi praebeat facultatem. Ne dicas abhorrere ab hac consuetudine quae habentur XXVI 37, quorum ita fit initium: *Neque aliud tempus*

---

[1]) Conferas quae de hoc loco J. Bruns, Persönlichkeit, accurate exposuit pag. 48.

*belli fuit, quo Carthaginienses Romanique pariter variis casibus immixtis magis in ancipiti spe ac metu fuerint . . .* Ostendit quidem Livius a re digressus, quae tunc et Romanorum et Carthaginiensium fuerit condicio, sed singulari quodam utitur consilio. Nam cum primum illorum, deinde horum res et bene et minus bene gestas proponit interque se comparat, nihil agit nisi ut illo tempore neutrius populi rem superiorem fuisse atque pariter et Romanos et Carthaginienses inter spem metumque fluctuavisse doceat. Qua re efficit, ut novi tamquam et integri belli tunc initium factum esse pateat. Id Livium intendisse vel verbis quibus excursum concludit probatur his: *Ita aequante fortuna suspensa omnia utrisque erant integra spe, integro metu, velut illo tempore primum bellum inciperent.* Hac igitur descriptione simplicem narrandi rationem non tam neglegi quam suppleri statuamus necesse est.

Eodem hoc rerum contextu de excursu commemorabo ita instituto, ut elogiis illis, de quibus supra monui, ex altera parte conveniat. Sicut enim annalium scriptorum more et exemplo insignium virorum mortem paucis prosequi solet, ut vita eorum peracta quanti fuerit momenti pateat, ita postquam finem *incluti per Europae plerumque atque Asiam omnem regni* Macedonici narravit, (XLIV 9) quantum et quale id fuerit ut doceat enititur. Quod ut efficiat, eandem quam in elogiis adhibens normam primum quamdiu steterit monet, deinde quattuor tempestates distinguit quaeque inter eas singuli reges in augendo regno ex parvis initiis profecto consecuti sint perhibet: usque eo historiam regni Macedonici edere noluit, id quod facit Polybius (XVIII 6). Cuius scriptoris expositionem etsi fontem adhibuit, tamen perinde atque in Attali elogio instituendo, quae copiose exposita invenit, ea comprehendit et ad suum propositum traduxit.

Annalium scriptorum nudam narrandi rationem eo denique Livius probat, quod de rebus narratis neque suam sententiam proferre solet et in ea historiarum parte, ubi Polybii libros adiit, quae ab hoc ad alios laudandos aut vituperandos dicta sunt omnia fere omittit. Paucis autem

locis, quin expromat, quid sentiat, sibi temperare non potest. Ac primum quidem huc pertinent quae habentur XXXI 38, 1—8. Sulpicium enim, consulem Romanum, cuius de fama scriptores quidam detrahere voluerunt, Polybio auctore [1]) adeo non segnem se praebuisse defendit, ut abstinuerit a Philippi regis temeritate, cuius temeritatem quamvis non infitietur at certe censet esse excusandam. Eundem Philippum, quia consulis adventu nuntiato saltus occupatos deseruerit atque Pydnam fugerit, nescio an iterum Polybium [2]) secutus (XLIV 6, 3 sq.) reprehendit. Regem enim, cui omnes aditus tenenti Romanos abscisis utrimque rupibus praesidiisque hostium inclusos fame perdere facile fuisset, hunc sua dementia consulis *quae temeritas videri potuisset, . . . eam non inconsultam audaciam* fecisse ostendit. Quamquam igitur Romani hic non aperte laudantur, illic non soli defenduntur, tamen ad utrumque excursum ex Polybii historiis depromendum non tam iustitia et aequitate quam studio erga patriam ducesque Romanos adductum esse Livium probabile est.

Luce autem clarius quantus fuerit in Livio patriae amor cognoscitur XXI 19, 1—5, ubi ad famam Romanorum et existimationem adversus alios scriptores defendendam abstrahitur. Legatos enim Romanos, qui bellum Carthaginiensibus indixerant, de iure foederum ideo non disceptavisse contendit, quia alienum ducerent a dignitate Romana, non quo Carthaginiensibus incusantibus respondere non possent. Quod ut probet, quibuscumque Romani se defendere criminaque Carthaginiensium diluere et refellere potuerunt, ea affert. Quam rem quantae habuerit curae vel inde apparet, quod non transtulisse similem excursum Polybianum, sed, quae apud optimum quemque scriptorem ad Romanos defendendos idonea invenit, iis videtur esse abusus [3]).

Quibus iudiciis inserendis illas quibus se obstrinxit

---

[1]) H. Nissen, Untersuchungen, a. 1863, pag. 73, 128.

[2]) ibd. pag. 259.

[3]) conf. Liv. ed. Weißenborn, a. 1881, IV 1, pag. 46 adn. 19, 1

leges Livium neglexisse quamquam negari non potest, tamen annalium scriptores eadem licentia aliquotiens usos esse veri simile est. Quin etiam sicut Livius rex Macedonum quanto cum suo damno occasionem praetermiserit ostendit, ita Thucydides (VIII 96, 4—5) Lacedaemonii in rebus gerendis nimis tardi, si Euboea capta in Piraeum navibus nudatum profecti essent, quantam utilitatem ex hac re percepturi fuerint quin doceat facere non potest.

### 3. Quas ipsi historiae argumento inseruerit expositiones.

Iam mihi dicendum erit de iis quae ipsi rerum narrationi interpositae sunt expositionibus, quae quatenus nudae annalium scriptorum rationi conveniant videamus. Licet autem exspectare et explicationes altius repetitas et terrarum gentiumque descriptiones et disputationes rem militarem spectantes a Livio omissas esse [1]. Atque explicationes quidem altius repetitae a prima operis decade, si discesseris ab ea, qua de prioribus Gallorum incursionibus aliquid certius affert, prorsus sunt alienae. Ne in ea quidem historiarum parte, ubi Polybium adhibuit, eius auctoritate ut a ratione solita discedat adducitur. Nam quae Polybium [2] secutus de Zacyntho insula et de Gallograecis exhibet, haec non sine gravi causa addidit. De Zacyntho enim (XXXVI 31, 10—32, 2) ea in primis monet, ex quibus quo iure Romani insulam ab Achaeis reposcant pateat; et de Gallograecorum, qui Brenno duce in Asiam transierunt, origine docet et opibus eo scilicet usus consilio, ut quam grave bellum immineat Romanis contra novum hunc et terribilem hostem profectis ostendat (XXXVIII 16). Sed una sane occurrit digressio, quae cum ad res narratas nihil omnino pertineat,

---

[1]) Confer Gell. V 18, 8 (Sempronius Asellio): *Inter eos*, inquit, *qui annales relinquere voluissent, et eos, qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit: Annales libri tantummodo quod factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant.*

[2]) H. Nissen, l. l. pag. 72 et 104.

a ratione Liviana prorsus aliena est. Postquam enim Masinissam Romanis subvenisse protulit, qua varia fortuna is rex in amittendo et recuperando regno paterno usus sit copiose et accurate exponit (XXIX 29, 5—33, 10). Cuius digressionis licentiam sibi excusandam esse Livius existimat verbis praemissis his: *Ceterum cum longe maximus omnium aetatis suae regum fuerit, plurimumque rem Romanam iuverit, operae pretium videtur excedere paulum ad enarrandum . . .* Quippe maiore huius viri Romanis adeo dediti admiratione et studio fuit imbutus, quam ut temporum eius varietates silentio praeteriret, quas Romanos haud iniquo animo audituros esse non ignoravit.

Terrarum gentiumque descriptiones, quales scriptores Graecos et Sallustium in deliciis habuisse vidimus, iis qui permanserunt libris neque a se compositas neque ex Polybii historiis translatas Livius inseruit. De urbium quidem, ut Carthaginis (XXVI 42, 7—9), Chalcidis (XXVIII 7, 6—9), Crotonis (XXIV 3, 1—8), situ pauca adduntur, complura de Emporiis et qui eas incolunt (XXXIV 9); sed haec aut brevius adnotata aut ad res narratas illustrandas idonea sunt. Neque vero de omnibus qui perierunt libris idem statuendum est, quippe quorum nonnulli gentium terrarumque descriptionibus non caruerint. Librum enim XVI. *originem Carthaginiensium et primordia urbis eorum,* librum CIIII. *situm Germaniae moresque,* CIII. *situm Galliarum* continuisse periochae docent. Praeterea de Britanniae situ Livium scripsisse a Tacito comperimus Agr. 10, 3. Accurate igitur contra morem et consuetudinem, nescio an motus eo quem fontem adhibuit scriptore, de illis gentibus sibi docendum esse existimaverat, quae in primis Romanorum oculos in se converterant.

A disputationibus rem militarem spectantibus Livium fere abstinuisse notum est. De suo sane, qua fuit rei militaris imperitia, nullas eum interposuisse non est cur miremur. Sed ne ea quidem, quae huiusmodi ab auctoribus addita invenit, suscipere voluit nisi quae in primis memorabilia vel Romanos haud iniquo animo audituros esse putavit.

Quod spectans in prima decade auctore annalium aliquo scriptore et Romanorum et Latinorum, qui diu foedere inter se iuncti proelio sese expedierunt, aciem pariter manipulatim structam accuratissime describit (VIII 8, 3—19). Porro de usu fundarum (XXXVIII 29, 3—7) et de Cestrosphendone quae vocatur (XXXII 65, 9—10) ex historiis Polybii [1]) hausta nonnulla praebet. Eidem Polybio [2]) ea debentur, quae de Gallorum usu pugnandi (XXXVIII 21, 8—12) et de ludicro circensi in usum belli verso leguntur XLIV 9, 3—7. Sed ab his locis, qui aliquo modo ad ipsam narrationem pertinent, unus differt, qui nullo vinculo cum argumento coniunctus nonnihil habet offensionis. Livius enim postquam milites Romanos vallum caedere et parare iussos esse narravit, a proposito digreditur, ut Polybium ad verbum paene exscribens quo vario modo Graeci et Romani vallis usi sint doceat (XXXIII 5, 5—12). Qua comparatione ut narrandi cursum interrumperet, summo quo Romanos complexus est amore Livium commotum esse apparet; Romanos enim Graecis hac re praestantes ostendere potuit.

Romanorum denique annalium scriptoris esse intellegitur in Romanis rebus se continere, id quod Livius ipse se propositum habere profitetur (l. XXXIX c. 48, 6). Neque, si libros eius perscrutamur, exspectatio nostra destituitur nisi duobus locis, quibus res ad illud propositum non spectantes profert. Quorum altero (VIII 24) annalium scriptorem aliquem adhibens breviter de Alexandrea illo anno condita, copiosius de Alexandri Epirensis fine exponit, nulla alia de causa quam quia hic rex in Italia bellum gessit. Alterius excursus, quo Philopoemenis exitum narrat (l. XXXIX 49—50), quam longe a re aberret sibi conscius, sic excusationem afferre studet: *Cuius belli et causas et ordinem si expromere velim, immemor sim propositi, quo statui non ultra attingere externa, nisi qua Romanis cohaererent rebus: eventus memorabilis est* [3]) . . . Verba autem illa quam sint

---

[1]) H. Nissen, l. l. pag. 205 et 255.

[2]) ibd. l. l. pag. 204 et 73.

[3]) Conferas etiam verba quibus ad rem revertitur haec (c. 53, 1): *Dum ea in Peloponneso, a quibus divertit oratio, geruntur . . .*

inania facile est ad intellegendum; neque enim magis eventum belli apparet cohaerere cum rebus Romanis quam bellum ipsum. Re enim vera quia in hoc libro de Hannibale quoque et Scipione eodem fere tempore mortuis (c. 51—52) ei narrandum est, idcirco in Philopoemenis morte tam diligenter explicanda versatur. Videlicet occasionem captat de clarissimorum ducum, Philopoemenis, Hannibalis, Scipionis vitae exitu ex ordine disserendi, quales compositiones aetatis Alexandrinae scriptores quos vocant elatos in deliciis habuisse constat [1]. Neque tamen Livius illorum virorum eventum primus composuit, immo exemplum sequitur, ut ipse c. 52, 1 commemorat, Polybii, Rutilii, Antiatis, quos Philopoemenem cum Hannibale et Scipione aequavisse profitetur (c. 51, 10).

Restant complures qui ad antiquitatem spectant loci, ut omnes excursus Liviani sint pertractati. Summo enim patriae amori non minus magnam maiorum et antiquitatis admirationem in Livio fuisse coniunctam, id cum ex paucis locis supra allatis tum ex prima praecipue librorum decade cognoscitur, ubi dum a praesentibus malis animo averso res antiquas summo studio exponit aliquotiens digressione a proposito facta de iis agit. Veluti V 21, 8—9 fabulam quandam, etsi quae probetur aut refellatur non dignam eam censet, sibi addendam esse existimat, et VII 10, 11—11, 1 legis qua licuit imperatori se ipsum aut quemlibet militem devovere summam subicit excursu, cuius rationem probat verbis his notatu dignis: *Haec etsi omnis divini humanique moris memoria abolevit, nova peregrinaque omnia priscis ac patriis praeferendo, haud ab re duxi verbis quoque ipsis, ut tradita nuncupataque sunt, referre.* Eodem spectant pauci loci, quibus praeteriti temporis memoria repetitur. Sacrorum

---

[1] confer E. Norden (Einleitung, pag. 583): Das führt auf die hellenistische Geschichtsschreibung und über diese hinauf vielleicht schon auf Theopompos. Selbst Polybios . . . macht hier Konzessionen: in den Schlußworten von B. II sagt er nach Erwähnung des Todes des Antigonos Doson, Ptolemaios Euergetes, Seleukos Nikator: *καθῆκον ἂν εἴη . . . καὶ τὴν βίβλον ταύτην ἀφορίζειν ἀκολούθως τῇ τε τῶν προγεγονότων περιγραφῇ καὶ τῇ τῶν κεχειρικότων τὰ πρὸ τοῦ δυναστῶν καταστροφῇ*

enim a Romulo Herculi factorum originem docet eo, quod fabulam de Euandro et Hercule vulgatam inserit (I 7, 4—15); porro postquam pestilentiae sedandae causa clavum figere constitutum esse rettulit, (VII 3, 5—8) quid spectantes iam prius Romani hac caerimonia usi sint excursu ad res narratas nihil pertinente ostendit. Ex eodem animo Liviano ii denique excursus nati sunt, quibus rerum quae suo tempore excreverunt, parva initia quam accuratissime et suae aetatis rationem ducens describit. Cuius quidem rei inveniuntur duo exempla: Originem enim ostendit luxuriae (XXXIX 6, 7—9) a Manlii exercitu in urbem invectae, quam sua aetate corroboratam esse verbis monet his: *Vix tamen illa, quae tum conspiciebantur, semina erant futurae luxuriae.* Simili modo clarissimam illam libri septimi expositionem concludit, qua (c. 2, 4—13) ludos scaenicos nascentes et crescentes persequitur: *Inter aliarum parva principia rerum ludorum quoque prima origo ponenda visa est, ut appareret, quam ab sano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerit.* Annumerare licet II 14, 1—4, ubi moris cuiusdam Porsenae bona vendendi, qui illo de quo agitur tempore ortus usque ad Livii aetatem manserat, ignota origine aliquid certius afferre conatur.

Quibus de locis idem quod de brevibus illis quas supra commemoravi adnotationibus existimandum est: quippe propriae fuerunt annalium scriptorum Romanorum, quos de rebus ad antiquitatem spectantibus exponere solitos esse inter omnes constat. Quorum ut vix quemquam studio docendi abstinuisse veri simile est, ita Cassium Heminam [1]) de institutis populi Romani, ut de nundinis (fr. 14) et de intercalationibus (18), L. Pisonem [2]) de more lectisterniorum (25), Cn. Gellium [3]) de initiis literaturae egisse reliquiae docent. Quin etiam nonnullos eiusmodi excursus una cum narratione alteri scriptori ab altero traditos esse iterum

---

[1]) Peter, hist. Rom. rel. pag. 99, 101.
[2]) Peter, l. l. pag. 129, 137.
[3]) Peter, l. l. pag. 165.

docet Dionysius Halicarnasseus, qui eodem loco et eodem consilio quo Livius de Euandro et Hercule narrat. Neque de ludis Romanis primum Livium docuisse ab eodem probatur Dionysio, qui quae de illis exhibet VII 70 sq. apud Fabium Pictorem invenisse se profitetur. Idem igitur, quod de similibus Taciti excursibus F. Leo scribit[1]), de illis quoque digressionibus Livianis statuemus: „Man wird eher annehmen, daß Tacitus einen solchen Stoff an seinem Wege bereitet fand, als daß er wie Plinius irgendein gelehrtes Repertorium zum Zwecke nachgeschlagen habe".

### 4. Conclusio.

Non magni sunt momenti, concedo, quae effeci, sed tamen ad cognoscendum usum Livianum non prorsus videntur inutilia. Nam primum quidem in hominum moribus et ingeniis explicandis eam quam primus adhibuit Thucydides rationem nescio an mediis intercedentibus annalium scriptoribus Romanis Livium exceptis duobus locis servavisse secutus potissimum J. Bruns exposui. Eadem in rebus narrandis usum norma, praeter pauca ad Romanos defendendos a Polybio fere deprompta, excursus nisi cum simplici illa ratione convenientes eum non addidisse deinde dixi. Denique eo ad annalium scriptorum exemplum Livium se conformasse demonstravi, quod et rebus antiquis excursu describendis operam dedit neque expositionibus, quales pragmaticorum historicorum propriae fuerunt, narrationem ornare solitus est, nisi quod ex iis quos sequitur auctoribus nonnulla sive Romanis auditu iucunda sive ad praedicandos eos idonea transtulit et ad eosdem defendendos comparationem illam (IX 17) ab argumento plane alienam interposuit.

## III. De Taciti digressionibus.

Iam progrediamur ad frequentes quae in Cornelii Taciti libris, in historiis potissimum et annalibus quos vocant

[1]) in commentatione: Die staatsrechtlichen Exkurse in Tacitus Annalen, Gött. Nachr. a. 1896, pag. 203.

occurrunt digressiones. Quae quomodo explicandae sint ut cognoscamus, non singulas eiusdem generis digressiones per Taciti opera debemus persequi, sed cum in alio opere componendo alio non solum dicendi sed etiam narrandi et exponendi genere sit usus, servato quo conscripti videntur esse ordine singulos libros perscrutati quid cuiusque de digressionibus existimandum sit exquirere praestat.

### 1. De duabus qui in Agricola occurrunt excursibus.

Atque primum quidem illum qui de vita et moribus Iulii Agricolae inscribitur libellum consideremus. Quo in componendo Tacitum non modo quod in Catilina et Iugurtha Sallustius adhibuit dicendi genus respexisse[1]), sed etiam quamvis in diverso argumento usum esse simili quo Sallustium in Iugurtha disserendi et enarrandi ratione[2]), ita ut duas huius libri digressiones et imitando effingeret et eodem modo subiceret, nuper monuit Fridericus Leo[3]). Et continentur inter se arto similitudinis vinculo quae Sallustius exhibet de Africa et quae de Britannia leguntur apud Tacitum. Sicut enim Sallustius (c. 17) ad bellum Africanum transiturus de *situ* huius terrae et *gentibus* exponit, ita Tacitus (c. 9), priusquam res ab Agricola in Britannia gestas refert, huius insulae *situm populosque* sibi describendos esse existimat. Initium autem sumit, postquam digrediendi rationem probare studuit seque ab aliis *nondum comperta* prolaturum esse monuit, a forma situ finibus insulae explicandis (c. 10); conferas velim Sallustium, qui paucis verbis praemissis *haud facile compertum* se narraturum esse praefatus Africae situm fines formam ut brevius ita simillime ostendit (c. 17, 3—5). Deinde Tacitus sic incipiens: *ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint* . . . Britannorum originem docet (c. 11) et nonnullis de ipsa terra insertis exorsus a Iulio Caesare

---

[1]) L. Wölfflin in Phil. vol. XXVI (a. 1867) pag. 122.

[2]) L. Urlichs, de Taciti vita et honoribus, Wirceburgi, a. 1879, pag. 2.

[3]) l. l. pag. 232 adn. 1.

primo Britanniam ingresso res in hac insula usque ad Agricolae adventum gestas comprehendit (c. 13—17); iterum conferas Sallustium, qui initio sumpto ab his verbis: *Sed qui mortales initio Africam habuerint* . . . variarum Africae gentium historiam ita subicit, ut c. 19 perinde ac Tacitus ad res interruptas deflectat. Interponit Tacitus, ut iam dicere institueram, (c. 12) brevem de terrae incolis frugibus tempestate expositionem, qualem Sallustium praeposuisse (c. 17, 5—6) supra (pag. 30) vidimus.

Probatur id et confirmatur altera digressione, quae occurrit Agr. 28. Posidonianum describendi modum respicientem non de Africa modo Sallustium exposuisse sed etiam *egregium atque mirabile facinus* a Philaenis fratribus in hac terra confectum narravisse supra demonstravi (pag. 25 et 31). Invicem Sallustii auctoritati parens Tacitus embolium quoddam, quo cohortis Usiporum *magnum atque memorabile facinus* comperimus, sibi subiciendum existimat. Ad ipsam narrationem adeo nihil pertinet illud facinus, ut quamdiu ad Sallustii exemplum id revocandam esse non constabat, maximam moveret offensionem, utpote quod sine ulla probabili causa videretur esse insertum[1]. Verum inter narrationem Taciteam ad digressionem Sallustianam id maxime interest, quod haec seiungi nequit ab iis, quae de Africa in eodem libro praebentur; cum Britanniae autem descriptione nullo vinculo cohaerent ea, quae apud Tacitum de militum facinore habentur. Neque enim ex uno imitandi studio embolii causam repetendam esse vel ex verbis elucet a quibus initium sumitur his (c. 32): *eadem aestate cohors Usiporum* . . . quippe quae illius scribendi generis, quod paulo post historiis et annalibus componendis adhibuit, memoriam

[1]) Consulto Tacitum de Usipis rettulisse inde apparere recte Gudemann (ed. Tacitus Berol. a. 1902, praef. pag. 7) monet, quod Calgacus c. 32 ad eos revertitur; graviter vero errat, quod ex eodem loco id scriptorem egisse efficit, ut bellandi artem Agricolae illustraret. Britanniae autem descriptionis causam repetit ex Menandri praecepto, quo (IX 223) eiusmodi *ἐκφράσεις* in laudatione requiri contendit: scilicet, ut Agricolae laudationem Tacitum scripsisse probet. Sallustium prorsus omittit.

afferant. Quare cum sermonis historici prima deprehendamus vestigia, non falso opinabimur illud universas res gestas historia comprehendendi studium, cui posteris in libris potuit obsequi, iam hic ut aliis Agricolae locis patefieri eoque studio aliquatenus eum adductum esse, ut, quibus in vita componenda ei utendum erat legibus, earum oblivisceretur[1]).

### 2. De Germania in excursuum numero habenda.

Eandem fere qua in Britannia excursu describenda usus est normam illi quem paulo post de Germania conscripsit libello Tacitum adhibuisse quin commemorem facere non possum. Perinde enim atque in Agricola de Germaniae situ et finibus, caelo et fluminibus, frugibus et metallis, de incolarum origine et nomine, de vitae et belli consuetudine, de moribus et institutis, sacris ritibus docet. Verum longius hic progredi licet. Aperte enim eorum, quae de Germania leguntur, vel singula et Posidonii de Gallia et Trogi auctoritate et exemplo Posidonii de Scythia, Parthia, Hispania exponentis memoriam nobis afferunt[2]). Qua de re ut ipse tibi persuadeas quae in primis exstant et eminent componam. Atque primum quidem eorum, quae de insulis in mari Tyrrheno sitis et de Britannia a Posidonio, quae de Scythia a Trogo exhibentur, compares velim cum Tacito haec:

| | |
|---|---|
| Germ. 2, 1: *Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos.* | Diod. V 21, 5: *κατοικεῖν δέ φασι τὴν Πρεττανικὴν αὐτόχθονα γένη* . . . 21, 2: *αὕτη δὲ τὸ μὲν παλαιὸν ἀνεπίμικτος ἐγένετο ξενικαῖς δυνάμεσιν.* |

---

[1]) Ex sententia Eduardi Norden.

[2]) conf. E. Norden, qui gentibus describendis quam variam rationem veteres scriptores adhibuerint ut enarretur cum postulat, haec profert (Einl. pag. 585): „Z. B. kenne ich keinen Interpreten der taciteischen Germania, der für ihre Komposition die überaus lehrreiche Ethnographie der Parther bei Trogus-Justinus herangezogen hätte, ganz zu schweigen von dem reichen ethnographischen Material, das Strabon aus Poseidonios bringt."

3, 1: *Fuisse apud eos et Herculem memorant . . . 3, 9: ceterum et Ulixen quidam opinantur . . . adisse Germaniae terras.*

3, 3: *Ceterum et Ulixen quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam Ulixi consecratam . . . eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos . . . adhuc exstare.*

16, 4: *Solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemis et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eius modi loci molliunt, et si quando hostis advenit, . . .*

19, 5: *plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.*

26, 1: *Fenus agitare . . . ignotum; ideoqne magis servatur quam si vetitum esset.*

V 21, 2: *οὔτε γὰρ Διόνυσον οὔθ' Ἡρακλέα παρειλήφαμεν οὔτε τῶν ἄλλων ἡρώων τινὰ ἐστρατευμένον ἐπ' αὐτήν.*

V 15, 2 (de Sardinia): *Ἰόλαος ὁ ἀδελφιδοῦς Ἡρακλέους καταλαβόμενος ᾤκισεν ἐν αὐτῇ πόλεις ἀξιολόγους, . . . κατεσκεύασε δὲ καὶ γυμνάσια καὶ θεῶν ναοὺς καὶ τ' ἄλλα πάντα . . ., ὧν ὑπομνήματα μέχρι τῶνδε τῶν καιρῶν διαμένει· τὰ μὲν γὰρ κάλλιστα πεδία τὴν προσηγορίαν ἀπ' ἐκείνου λαβόντα Ιολάεια καλεῖται, τὸ δὲ πλῆθος μέχρι τοῦ νῦν φυλάττει τὴν ἀπ' Ἰολάου προσηγορίαν.*

V 17, 3 (de Balearibus): *οἰκοῦσι δ' ὑπὸ ταῖς κοιλάσι πέτραις, καὶ παρὰ τοὺς κρημνοὺς ὀρύγματα κατασκευάζοντες καὶ καθόλου πολλοὺς τόπους ὑπονόμους ποιοῦντες ἐν τούτοις βιοῦσιν, ἅμα τὴν ἐξ αὐτῶν σκέπην καὶ ἀσφάλειαν θηρώμενοι.*

Iust. II, II 14: *hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina praeceptisque philosophorum consequi nequeunt.*

Iust. II, II 15: *Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio quam in his cognitio virtutis.*

| | |
|---|---|
| 45, 7: *fecundiora igitur nemora lucosque sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, . . .* | Iust. XXXVI, III 3 (de Arabia deserta): *Arbores opobalsami . . . certo anni tempore sudant.* |
| 46, 2: *quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus.* | Iust. II, II 14 (Scythi): *uxores liberosque secum in plaustris vehunt.* |
| 3 (Fennis): *vestitui pelles, cubile humus: solae in sagittis opes . . . idemque venatus viros pariter ac feminas alit; passim enim comitantur partemque praedae petunt. nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur.* | Iust. II, II 3: . . . *per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis imbrium hiemisque causa tectis pro domibus utuntur . . . 9: pellibus tamen ferinis ac murinis utuntur.* |

Porro quae de Parthis, gente Germanis moribus haud dissimili, a Trogo dicta in angustum coegit Iustinus XLI, I — IV conferas velim cum Tacito:

| Tac. Germ. | Iust. XLI. |
|---|---|
| 2, 5: *tunc Germani vocati sunt: ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox etiam a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.* | I 1: *Parthi . . . Scytharum exules fuere. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur, nam Scythico sermone exules „parthi“ dicuntur.* |
| 6, 3: *paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea.* | II 10: *Munimentum ipsis equisque loricae plumatae sunt.* |
| 6, 6: *cedere loco, dummodo rursus insistes, consilii quam formidinis arbitrantur.* | II 7: *saepe etiam fugam simulant, ut incautiores adversus vulnera insequentes habeant.* |
| 7, 1: *Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt.* | II 1: *Administratio gentis semper sub regibus fuit. Proxi-* |

| | |
|---|---|
| | *mus maiestati regum ipsorum probulorum ordo est.* |
| 13, 1: *Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt.* | III 14: *Equis omni tempore vectantur; illis bella illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt.* |
| 17, 1: *locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi,* . . . | II 4: *Vestis olim sui moris; posteaquam accessere opes, ut Medis perlucida ac fluida.* |
| 17, 4: *nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt* . . . 19, 2: *paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens.* | At Iust. III 1: *Uxores dulcedine variae libidinis singuli plures habent, nec ulla delicta adulteriis gravius vindicant.* |
| 19, 1: *Ergo saepta pudicitia agunt, nullis spectaculorum inlecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae.* | III 2: *Quam ob rem feminis non convivia tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt.* |
| 20, 2: *Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas.* | Iust. II 5: *Hos* (servos) *pari ac liberos suos cura . . . docent.* |
| 22, 4: *gens non astuta nec callida* . . . 24, 4: *ea est in re prava pervicacia; ipsi fidem vocant.* | At Iust. III 7: *Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia;* 10: *Fides dicti promissique nulla, nisi quatenus expedit.* |
| 23, 1: *sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem; adversus sitim non eadem temperantia.* | III 10: *in libidinem proiecti, in cibum parci.* |

Quae de Hispania apud Iustinum (XLIV, I—IV) praebentur singula etsi ad comparandum minus sunt idonea, id tamen velim observes, quod ita eum hanc descriptionem instituisse cognoscitur, ut primum de terrae situ frugibus caelo, deinde de universorum incolarum origine moribus

institutis, denique de singulis Hispaniae gentibus, ut de Lusitanis, Gallaecis, Tartessis doceret.

Iam vero quae de Gallis, gente finitima et propinqua, apud Diodorum V 24 sq. leguntur quatenus cum iis, quae de Germanis audimus, liceat conferre videamus:

| Tac. Germ. | Diod. V. |
|---|---|
| 1, 3: *Danuvius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus pluris populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat.* | 25, 4: *μέγιστος δ' ἐστὶ τῶν εἰς τὸ καθ' ἡμᾶς πέλαγος ῥεόντων ὁ Ῥοδανός, τὰς μὲν πηγὰς ἔχων ἐν τοῖς Ἀλπείοις ὄρεσι, πέντε δὲ στόμασιν ἐξερευγόμενος εἰς τὴν θάλατταν.* |
| 3, 1: *Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos . . . nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur.* | 29, 3: *τάς τε τῶν προγόνων ἀνδραγαθίας ἐξυμνοῦσι καὶ τὰς ἑαυτῶν ἀρετὰς προφέρονται, . . . καὶ τὸ σύνολον τὸ θάρσος τῆς ψυχῆς τοῖς λόγοις προαφαιροῦνται* . . . 31, 2: *εἰσὶ δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, οὓς βάρδους ὀνομάζουσιν.* |
| 4, 2: *unde habitus quoque corporum . . . idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia.* | 28, 1: *οἱ δὲ Γαλάται τοῖς μὲν σώμασίν εἰσιν εὐμήκεις, ταῖς δὲ σαρξὶ κάθυγροι καὶ λοικοί, ταῖς δὲ κόμαις οὐ μόνον ἐκ φύσεως ξανθοί,* . . . 34, 5: *καθόλου καρτεροπληγεῖς ὑπάρχουσιν . . . κατὰ δὲ τὰς ἐν ταῖς συστάσεσι τῶν δεινῶν ὑπομονὰς πολὺ λείπονται τῶν Κελτιβήρων.* |
| 5, 1: *Terra . . . ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit.* | 26, 1: *ἀπὸ γὰρ θερινῆς δύσεως καὶ ἄρκτου πνεῖν εἰώθασιν ἄνεμοι τηλικαύτην ἔχοντες σφοδρότητα* . . . |
| 6, 1: *Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur: hastas* | 30, 3: *ἀντὶ δὲ τοῦ ξίφους σπάθας ἔχουσι μακρὰς* . . . |

*vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, . . .*

6, 2: *pedites et missilia spargunt, . . . nudi aut sagulo leves. nulla cultus iactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. paucis loricae . . .*

6, 4: *eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, . . .*

7, 2: *ceterum neque animadvertere neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.*

10, 1: *Auspicia sortesque ut qui maxime observant: sortium consuetudo simplex . . .* 10, 3: *et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium* (ἴδιόν τι) *gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri.*

17, 1: *cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt.*

4: προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι, πηχυαῖα τῷ μήκει τοῦ σιδήρου…

30, 3: θώρακας δ'ἔχουσιν οἱ μὲν σιδηροῦς ἁλυσιδωτούς, οἱ δὲ τοῖς ὑπὸ τῆς φύσεως δεδομένοις ἀρκοῦνται, γυμνοὶ μαχόμενοι . . . At 30, 3: τινὲς δὲ τοὺς χιτῶνας ἐπιχρύσοις ἢ καταργύροις ζωστῆρσι συνέζωνται.

33, 2: δοκοῦσι δὲ οὗτοι κατὰ τοὺς πολέμους οὐ μόνον ἱππεῖς ἀγαθούς, ἀλλὰ καὶ πεζοὺς παρέχεσθαι διαφόρους ταῖς ἀλκαῖς καὶ ταῖς καρτερίαις.

31, 2: φιλόσοφοί τέ τινές εἰσι καὶ θεολόγοι περιττῶς τιμώμενοι, οὓς δρονίδας ὀνομάζουσιν. 5: οὐ μόνον δ'ἐν ταῖς εἰρηνικαῖς χρείαις, ἀλλὰ καὶ κατὰ τοὺς πολέμους τούτοις μάλιστα πείθονται..

31, 3: χρῶνται δὲ καί μάντεσιν, ἀποδοχῆς μεγάλης ἀξιοῦντες αὐτούς. οὗτοι δὲ διάτε τῆς οἰωνοσκοπίας καὶ διὰ τῆς τῶν ἱερείων θυσίας τὰ μέλλοντα προλέγουσι . . . μάλιστα δ'ὅταν περί τινων μεγάλων ἐπισκέπτωνται, παράδοξον καὶ ἄπιστον ἔχουσι νόμιμον. ἄνθρωπον γὰρ κατασπείσαντες . . .

28, 4: δειπνοῦσι δὲ καθήμενοι πάντες οὐκ ἐπὶ θρόνων, ἀλλ'ἐπὶ τῆς γῆς . . . πλησίον δ'αὐτῶν

20,3: *sera iuvenum venus,... nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas.*

21, 2: *Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit . . . nec interest: pari humanitate accipiuntur. notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. abeunti, si quid poposcerit, concedere moris;...*

22, 2: *Crebrae, ut inter vinolentes, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur.*

22, 4: *gens non astuta nec callida aperit adhuc* (in conviviis) *secreta pectoris licentia ioci;*

23, 1: *Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus: proximi ripae et vinum mercantur. cibi simplices . . . adversus sitim non eadem temperantia. si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile*

*ἐσχάραι κεῖνται γέμουσαι πυρὸς . . .*

32, 2: *αἱ δὲ γυναῖκες τῶν Γαλατῶν οὐ μόνον τοῖς μεγέθεσι παραπλήσιοι τοῖς ἀνδράσιν εἰσίν, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἀλκαῖς ἐνάμιλλοι.*

28, 5: *καλοῦσι δὲ καὶ τοὺς ξένους ἐπὶ τὰς εὐωχίας, καὶ μετὰ τὸ δεῖπνον ἐπερωτῶσι τίνες εἰσὶ καὶ τίνων χρείαν ἔχουσιν.* 34, 1 (de Celtiberis): *πρὸς δὲ τοὺς ξένους ἐπιεικεῖς καὶ φιλάνθρωποι. τοὺς γὰρ ἐπιδημήσαντας ξένους ἅπαντες ἀξιοῦσι παρ' αὐτοῖς ποιεῖσθαι τὰς καταλύσεις καὶ πρὸς ἀλλήλους ἁμιλλῶνται περὶ τῆς φιλοξενίας.*

28, 5: *εἰώθασι δὲ καὶ παρὰ τὸ δεῖπνον ἐκ τῶν τυχόντων πρὸς τὴν διὰ τῶν λόγων ἅμιλλαν καταστάντες, ἐκ προκλήσεως μονομαχεῖν πρὸς ἀλλήλους.*

31, 1: *κατὰ δὲ τὰς ὁμιλίας βραχυλόγοι καὶ αἰνιγματίαι καὶ τὰ πολλὰ αἰνιττόμενοι συνεκδοχικῶς.*

26, 2: *πόμα κατασκευάζουσιν ἐκ τῆς κριθῆς τὸ προσαγορευόμενον ζῦθος, καὶ τὰ κηρία πλύνοντες τῷ τούτων ἀποπλύματι χρῶνται. κάτοινοι δ' ὄντες καθ' ὑπερβολὴν τὸν εἰσαγόμενον ὑπὸ τῶν ἐμπόρων οἶνον ἄκρατον ἐμφοροῦνται, καὶ διὰ τὴν ἐπιθυμίαν λάβρῳ χρώμενοι τῷ*

*vitiis quam armis vincentur.*

26, 1: *agri pro numero cultorum ab universis vicis occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur . . . arva per annos mutant.*

29, 2 (de Batavis): *manet honos et antiquae societatis insigne; nam nec tributis contemnuntur nec publicanus atterit.*

30, 2 (de Chattis): *duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et maior animi vigor. multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae. praeponere electos, audire praepositos, . . . quodque rarissimum nec nisi Romanae disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu.*

30, 3: *alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum . . . equestrium sane virium id proprium, cito parere victoriam, cito cedere.*

38, 4 (de Suebis): *insigne gentis* (ἰδιόν τι) *obliquare crinem nodoque subtringere: sic Suebi a ceteris Germanis, sic Sueborum ingenui a servis separantur . . . apud Suebos usque ad canitiem horrentem*

πότῳ καὶ μεθυσθέντες εἰς ὕπνον ἢ μανιώδεις διαθέσεις τρέπονται.

34, 3 (de Celtiberis): οὗτοι γὰρ καθ᾽ἕκαστον ἔτος διαιρούμενοι τὴν χώραν γεωργοῦσι, . . .

25, 1: ὧν (ἐθνῶν) ἕν ἐστι πρὸς Ῥωμαίους ἔχον συγγένειαν παλαιὰν καὶ φιλίαν τὴν μέχρι τῶν καθ᾽ἡμᾶς χρόνων διαμένουσαν.

31, 1: αὐτοὶ δ᾽εἰσὶ τὴν πρόςοψιν καταπληκτικοὶ καὶ ταῖς φωναῖς βαρυηχεῖς . . ., ταῖς δὲ διανοίαις ὀξεῖς καὶ πρὸς μάθησιν οὐκ ἀφυεῖς. 40, 1 (de Tyrrhenis): τό τε περὶ τοὺς ἡγουμένους στρατηγοὺς ἀξίωμα κατεσκεύασαν, περιθέντες τοῖς ἡγουμένοις ῥαβδούχους καὶ δίφρον ἐλεφάντινον . . .

34, 5: εὐκίνητοι δ᾽ὄντες καὶ κοῦφοι ῥᾳδίως καὶ φεύγουσι καὶ διώκουσι.

28, 2: τιτάνου γὰρ ἀποπλύματι σμῶντες τὰς τρίχας συνεχῶς ἀπὸ τῶν μετώπων ἐπὶ τὴν κορυφὴν καὶ τοὺς τένοντας ἀνασπῶσιν, . . . τὰ δὲ γένεια τινὲς μὲν ξυρῶνται, τινὲς δὲ μετρίως ὑποτρέφουσιν. οἱ

| | |
|---|---|
| *capillum retorquent ac saepe in ipso vertice religant; principes et ornatiorem habent.* | *δ'εὐγενεῖς τὰς μὲν παρειὰς ἀπολεαίνουσι, τὰς δ'ὑπήνας ἀνειμένας ἐῶσιν, ὥστε τὰ στόματα αὐτῶν ἐπικαλύπτεσθαι.* |
| 43, 3: *ceterum Harii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces insitae feritati arte ac tempore lenocinantur.* | 28, 1: *ταῖς δὲ κόμαις οὐ μόνον ἐκ φύσεως ξανθοί, ἀλλὰ καὶ διὰ τῆς κατασκευῆς ἐπιτηδεύουσιν αὔξειν τὴν φυσικὴν τῆς χρόας ἰδιότητα.* |

Plura licet exhibere, sed sufficiunt haec ad demonstrandum non rationem modo describendi similem apud Posidonium et apud Tacitum deprehendi, sed singula quoque ab utroque exposita eiusdem artis et consuetudinis prae se ferre notam, ita ut nonnulla ab uno eodemque viro dicta esse putes. Id unum etiam commemorabo, Posidonii de argento quod incendio silvarum detectum ab Iberis in pretio non habetur (V 35, 3) scribentis memoriam nobis afferre ea, quae de sucini origine apud Tacitum praebentur 45, 12.

Quibus perpensis et comparatis mihi concedes similitudinem locorum tantam esse, ut casu fieri nequeat. Quomodo igitur artam hanc propinquitatem effectam esse dicemus? Atque suspiceris fortasse Posidonium de Germania excursu ab historiis facto scripsisse ipsumque hunc excursum Tacitum adhibuisse. Prima quidem specie haec coniectura maxime placet, praesertim cum illum in tricesimo libro de Germanorum victu monuisse testis sit Athenaeus (IV, c. 39) et Strabo (C. 290, c. 1 § 2 sq.) de Cimbris aliisque Germaniae gentibus auctore Posidonio referat. Sed praeterquam quod discrepant nonnulla inter Strabonem et Tacitum, si accuratius quae a Posidonio servata sunt inspexeris, brevissime hunc de Germania exposuisse facile intelleges. Quare cum falsam esse illam suspicionem appareat, artam quam cognovimus necessitudinem explicare non possumus nisi statuimus Tacitum in Germania componenda rationem illam et artem, quam primus Posidonius videtur adhibuisse, non minus ac Sallustium et Pompeium Trogum ita servavisse, ut singula de variis gentibus a variis scrip-

toribus dicta inter se possint comparari. Consentit, quantum intellego, Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff, qui scribit haec[1]: „Der Forscher aus Apameia ... lieferte von den Kelten eine Schilderung, die mit hippokratischer Diagnostik ihre Eigenart herausfand; ihm gelang die Unterscheidung der Germanen, deren taciteische Schilderung auf dem Boden dieser poseidonischen erwachsen ist.“

Neque dubium est, quin Tacitus ratione Posidoniana prorsus servata excursu ab historiarum argumento de Germanis docere consilium inierit[2]; rerum vero materia et copia uberrima videtur esse commotus, ut consilio mutato expositionem crescentem non interponere historiis sed praemittere animum induceret. Quod eo facilius facere potuit, quia Seneca[3], nescio an idem ad Posidonii exemplum se applicans, de Aegypto et India libellos ediderat.

### 3. De historiarum digressionibus.

Ad historias venio, quae Germaniam secutae sunt. De quibus quid existimandum sit ut videamus, primum eos qui in hominum moribus describendis versantur excursus consideremus. Paucis enim locis de viro insigni mentione facta non ea solum, quae ad narrationem illustrandam necessaria vel idonea sunt, exhibet, sed imaginem eius viri luculento modo expressam nobis proponit. Cuius rei duo servata sunt exempla: I 10 Licinius Mucianus, cuius milites ad bellum nondum consurrexerunt, qua non solum auctoritate apud milites usus sit comperimus, sed etiam quas res gesserit, quibus virtutibus et vitiis eminuerit. Et IV 5 de Helvidii Prisci in senatu libere locuti origine vita, probitate constantia disserit sic veniam praefatus: *Res poscere videtur, quoniam iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam studiaque eius, et quali fortuna sit usus, paucis repetam.* Quibus verbis aperte revocamur ad Sallus-

---

[1]) Kultur der Gegenwart, I, 8 (a. 1907) pag. 109.

[2]) Th. Mommsen, Reden u. Aufsätze, a. 1905, pag. 152.

[3]) conf. E. Norden, Kunstprosa, (a. 1909) pag. 326, adn. 2 (ex Leonis sententia).

tium in Iugurtha similem causam reddentem hanc (95): *Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est de natura cultuque eius paucis dicere.* Quare praemissis illis verbis certam imitationis notam prae se ferentibus nixus non temere conicias Tacitum aemulatum esse Sallustium, quippe quem et in Catilina et in Iugurtha et in historiis simili modo virorum insignium vitam et mores adumbrasse viderimus. Confirmatur haec suspicio eo loco, quo (II 5, 1—6) Vespasianus et Mucianus, duces ut bellandi virtute egregii ita ingenio et moribus dispares inter se componuntur, ita quidem ut imago Vespasiani expressa Muciano praeponatur. Eodem enim modo Sallustium in historiis (I 116—118) Sertorii naturam ingenium artem bellicam cum Metello composuisse constat (supra pag. 8). Hoc maximi est momenti. Nam cum Tacitus illa quae Catonis et Caesaris comparationi adhibita est ratione neglecta eam, quae historiis inserta est comparatio, imitari voluerit [1]), conicias necesse est in historiarum morum descriptionibus instituendis Tacitum non tam Catilinam et Iugurtham quam historias [2]) Sallustianas respexisse.

---

[1]) Animadvertas velim, quantopere verba quibus Vespasiani et Muciani comparatio concluditur haec: *egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solae virtutes miscerentur* (monuit de hoc loc F. Leo: Tacitus, or. Goett. a. 1896 pag. 5) concinant cum iis, quibus Posidonius Fabii et Marcelli σύγκρισιν absolvit (Plut. Fab. Max. c. 19, 17): κιρναμένην δὲ τὴν Φαβίου βεβαιότητα καὶ ἀσφάλειαν τῇ Μαρκέλλου συνηθείᾳ σωτήριον γενέσθαι τοῖς Ῥωμαίοις. Hoc maximi est momenti. Nam cum Sallustium comparationes suas Posidonii exemplo instituisse effecerimus (pag. 16), quid veri similius quam ex Sallustio imitatione illum locum expressum esse.

[2]) Cui coniecturae egregie concinere puto, quod Tacitus historiarum prooemium ex Sallustii historiis imitatione expressit. Hic enim incipiens ita: *Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo consulibus ac deinde militiae et domi gestas composui* (fr. 1) ... cum priores scriptores aut paucis omnia absolvissent (fr. 4) aut in deterius composuissent (fr. 5), se tamen diversam partem in civilibus armis non movisse a vero affirmat. Conferas velim Tacitum, qui exorsus ab his verbis: *Initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Vinius consules erunt* ... cum post pugnam Actiacam scriptores ab ea quam liberae rei publicae ingenia prae se tulerint veritate ac libertate longe deerrassent, se tamen *neque amore et sine studio* narraturum esse asseverat.

Porro Tacitus virorum quorundam insignium, quorum mortem rettulit, vitam paucis persequitur. Digni ducuntur eiusmodi elogiis Titus Vinius et Piso (I 48), Galba (I 49), Otho (II 50), Fabius Valens (III 62), Sabinus Flavius (III 75), Vitellius (III 86). Quae elogia ita fere sunt instituta, ut origine commemorata, ut quisque plurimum valuit aut minime in narratione versatus est, ita vita eius et res in primis notatu dignae diligentissime describantur. Dixerit fortasse aliquis profectos esse hos excursus ab eadem illa consuetudine, quam ab annalium scriptorum traditam Livius tenuit. Prima quidem specie haec maxime placent, praesertim cum Tacitus, id quod Livius solitus est, non modo quot quisque annos sive vitae expleverit (Piso, Titus Vinius, Galba, Otho, Vitellius), sive in re publica versatus sit (Sabinus Flavius) adnotet sed diversa quoque vitae tempora distinguat. Tamen id maxime inter elogia Liviana ad Taciti excursus interest, quod ille quanti vita viri peracta aestimanda sit docere satis habet, hic de natura ingenio moribus viri quid existimandum sit modo breviter modo copiose ostendit. Argumento igitur minus quam loco quo de viris his docetur elogia a morum descriptionibus Taciti differunt. Quid igitur? Nempe verisimillimum est Tacitum inseruisse ea more institutoque Sallustii, quippe quem in historiis de virorum insignium mortuorum vita vitiis virtutibus quamvis rarius, tamen similem in modum disseruisse ex Senecae verbis et historiarum reliquiis effecerimus (supra pag. 16).

Iam postquam in describendis hominum moribus Sallustii historias Tacitum respexisse vidimus, ad easdem in narrandis quoque rebus eum sese applicuisse licet exspectare. Atque primum quidem Sallustius, quod quidem ex fragmentis possit colligi, quae quoque anno gesta sunt, ea exordine narravit neque quaestiones movere aut sententiam suam proferre solitus est. Eadem ratione Tacitus utitur, nisi quod duobus locis res inter se cohaerentes non in singulos libros distribuit, sed sub uno conspectu ponit: neque tamen sine gravi causa solitas leges neglexit; nam et I 51, ubi causas initiaque motus Vitelliani, et IV 12, ubi primordia

belli Germanici componit, nihil agit nisi ut res narratas magis perspicuas reddat. Et adnotationem illam, qua (II 37) scriptores quosdam refutat, qui Othonis milites contenderant ab armis civilibus cogitasse recedere, non dubito quin magis subiecerit, ut expositioni subsequenti locum et materiam daret, quam ut nimis a fide haec esse aliena demonstraret. Sed de hoc loco infra plura mihi erunt dicenda (pag. 73).

Sallustium Posidonii vestigiis insistentem ut virorum ita locorum quorundam insignium vitae exitum prosecutum esse ex simili Trogi Pompei consuetudine collegimus (supra pag. 17). Idem facit Tacitus III 34, ubi Cremona, oppidum clarissimum a Romanis tunc deletum, a quibus conditum et quali fortuna usum sit exponit, et III 72, 9, ubi Capitolium a Romanis ipsis incensum quomodo ortum et ornatum et postea refectum sit docet. In aperto est expositiones has quibus clarorum locorum finem Tacitus prosequitur illis, quibus virorum mortuorum vitam respicit, ex altera parte convenire; quin etiam arto necessitudinis vinculo utriusque generis elogia inter se cohaerere, id vel inde elucet, quod ab iisdem fere verbis eorum initium capere voluit. Conferas velim III 34: *Hic exitus Cremonae anno ducentesimo octogesimo sexto a primordio sui* . . . et I 49, 7: *Hunc exitum habuit Servius Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes emensus* . . . et III 75: *Hic exitus viri haud sane spernendi*[1]. — Porro conferas III 72, 9: *Stetit dum pro patria bellavimus. Voverat* . . . et I 48, 5: *Titus Vinius quinquaginta septem annos variis moribus egit. Pater illi* . . . Quae cum ita sint, postquam illius generis elogia ad Sallustii auctoritatem revocavimus, locorum clarorum interitum paucis persequendi consuetudinem ab eodem Sallustio ascivisse Tacitum eo iure statuemus, quo Livius non dubitamus quin et virorum mortuorum vitam et regni Macedonici deleti historiam eorundem annalium scriptorum more subiecerit.

Iam quod de eis qui ad describendi et narrandi rationem

---

[1]) cf. F. Leo, l. l. pag. 236.

pertinent excursibus collegimus quatenus in eas quae in expositione ipsa occurrunt digressiones conveniat videamus.

Ac primum quidem frequentes in historiis inveniri expositiones altius repetitas non est cur miremur. Scilicet ad Augusti tempora aliquotiens redeat Tacitus necesse est, ut res narratas illustret et perspicuas reddat (I 53, III 24, II 1—4). Accedunt duo loci, quibus Augusti aetatis memoria repetita res quasdam tunc factas sub prioribus imperatoribus non evenisse commemorat, dico I 89, 6 et II 6. Quibus adnumerare licet III 58, ubi, postquam auctore Sisenna fratrem ab equite necatum praemiumque ab eo petitum esse narravit, inreverentiae huic inauditae acriorem apud maiores scelerum conscientiam componit. Differt aliquantum si non argumento at certe forma ille excursus, quo imperatoris Vitellii fortunam monet adhuc esse inauditam, ita tamen ut populi voces se persequi simulet (III 68). Vitellii enim maesta cum familia de Palatio et principatu descendentis casum eos qui circumstant inducit commiserantes dicens: *Nec quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, Romanum principem et generis humani paulo ante dominum, relicta fortunae sede per populum, per urbem exire de imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant.* Quae deinde de priorum imperatorum vitae imperiique fine adduntur quamquam ipsius scriptoris verbis narrantur, tamen a populo tum dicta sentiuntur et intelleguntur. Hic igitur prima deprehendimus vestigia illius artis sic exponendi quasi agantur res non quasi narrentur, quam artem notum est Tacitum in annalibus egregie excoluisse.

Maioris autem ad quaestionem absolvendam momenti sunt quae exstant II 38, de quibus ut adnotationi illi annexis iam mentionem inchoavi. Postquam enim de magna qua et milites et duces tum fuerint potentiae cupidine, ut scriptores illos refelleret, monuit, dominandi hanc cupiditatem in re publica Romana nascentem et crescentem ostendit. Quis est cui haec res non afferat memoriam Sallustii, qui et in Catilina depravatos rei publicae mores et in Iugurtha certamina civilia ex quibus initiis profecta persequitur. Facile igitur

tibi veniat in mentem ad hunc locum Sallustii exemplum valuisse. Cuius suspicionis fides magnopere augetur eo, quod servatis excursibus Sallustianis non forma solum et ratione plane congruit, sed loci quoque similes inveniuntur. Sed quid multa. Ut ipse tibi persuadeas, quae ad rem diiudicandam sufficiunt componam:[1])

| Tac. II 38. | Sall. Iug. 41, 2. |
| --- | --- |
| *Vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque*; | *Ceterum mos partium popularium et senatus factionum ... paucis ante annis Romae ortus est ...* |
| *nam rebus modicis aequalitas facile habebatur.* | *nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant ...* |
| *Sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebesque certamina exarsere ...* | *Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere ...* (cf. etiam Cat. 10: *sed ubi nationes ferae et populi ingentes vi subacti ...*). |
| *Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem redeo.* | *Sed de studiis partium et omnis civitatis moribus si singillatim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deseret. quam ob rem ad inceptum redeo.* |

Extremae Taciti digressioni etiam haec, quibus Sallustius Iugurthae prooemium concludit, licet comparare (Iug. 4, 9): *Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque: nunc ad inceptum redeo.* Artam igitur Taciti

[1]) conf. Tac. hist. ed. E. Wolff, Berol. a. 1881, pag. 183 adn. 1 sq., ubi singuli loci inter Tacitum et Sallustium congruentes comparantur.

expositioni. intercedere vides necessitudinem cum eo potissimum excursu, quem in Iugurtha subiecit Sallustius. Neque tamen, cum Sallustius eiusdem generis excursus simili quodam modo videatur instituisse, hunc ipsum locum Tacitum imitari voluisse necesse est opinemur, immo similiorem in historiis exstitisse expositionem mihi quidem probabile fit ex prooemii verbis his (fr. 12): *Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurimae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt.* Cum quibus conferas Tac. hist. II 38, 2: *Sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebesque certamina exarsere.*

Duo qui sunt de rebus divinis loci se offerunt. Altero (II 3) paulo brevius de Veneris Paphiae, cuius templum Titus adiit, origine forma cultu monet. Altero (IV 83—84) Serapidis dei, cuius templum tunc Vespasianum ingressum esse rettulit, effigiem iussu regis ex Ponto in Aegyptum docet traductam, pauca de ipso deo commemorat. Quo in excursu quam operam posuerit, id inde apparet, quod cum scriptores Romani de huius dei initiis nihil commemoravissent (cf: *origo dei nondum nostris auctoribus celebrata),* Manethonis, Aegyptiorum antistitis, librum adire non gravatus est. Neque id mirum, cum ex quindecim viris Tacitum fuisse constet, quibus non solum sacrorum a libris Sibyllinis permissorum sed omnium quae a populis externis ascitae erant religionum videtur fuisse cura [1]). Cuius officii partes ut posset implere, in omnes cultus peregrinos animum eum intendisse eosque ad se pertinere putavisse intellegitur. Neque id unum digrediendi causam dedisse, sed maximi ad utrumque locum momenti fuisse Sallustii historias, id ex ultimis fragmenti Aurelianensis quod vocant verbis mihi videor efficere, in quo postquam Servilium narratum est montem occupasse Matri magnae sacrum leguntur haec [2]): *Et in eo*

---

[1]) Marqu. Röm. Staatsverw. III, pag. 396.
[2]) Maurenbrecher l. l. II, 87 D.

*credebatur epulari diebus certis dea, cuius erat de nomine, exaudiri sonores* . . . Sallustium igitur negari nequit peregrinas descripsisse religiones. Originem quoque deae initiaque cultus amissa in excursus parte eum docuisse etsi demonstrari non potest, tamen, ut fuit propensus ad quarumvis rerum initia interponenda, veri haud videtur esse dissimile.

Copiosa quae in libro quinto occurrit expositio restat, qua absoluta omnes historiarum excursus erunt pertractati. Iudaeorum enim originem terram res gestas, postquam Titum ad eos perdomandos profectum esse narravit, explicat (V 2—10) sic veniam praefatus: *Sed quoniam famosae urbis supremum diem habituri sumus, congruens videtur primordia eius aperire.* Similibus quidem causis allatis Sallustius gentium terrarumque descriptiones historiis subiecit, veluti de Heracleae Ponticae oppugnatione narraturus Ponti situm subiunxit. Verum hoc nullius est momenti nisi ipsa descriptio Sallustianis illis digressionibus ratione congruit. Quod quo iure affirmetur ut videamus, Africae descriptionem integram servatam iuvat adhibere. Atque videmus Tacitum primum heroicorum temporum memoria repetita quod de Iudaeorum nomine et origine compertum habet proferre (c. 2—3; cf. Sall. Iug. c. 18), deinde de moribus et institutis Iudaeorum (c. 4—5; cf. Sall. c. 18), de terrae finibus tempestate frugibus exponere (c. 6—7; cf. Sall. c. 17, 4—6). Quam diligenter in terra describenda Sallustii vestigia Tacitus presserit ex eo elucet, quod vel singula possunt comparari; conferas Sall. c. 17, 5: *ager frugum fertilis . . . caelo terraque penuria aquarum. genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum* . . . et Tac. c. 6, 3: *corpora hominum salubria et ferentia laborum . . . rari imbres, uber solum.* Denique Tacitus exorsus a Pompeio, qui primus Iudaeos domuit, res a Romanis in Iudaea usque ad Titi aetatem gestas comprehendit, ita ut c. 11 ad propositum revertatur.

Quo in excursu componendo quorum auctorum libros Tacitus adierit diligentissime et saepissime viri docti inquisiverunt, ita quidem ut alios eius locos aliis scriptoribus

adiudicarent. Neque tamen pro certo contendere dubitaverim unum potissimum auctorem Tacitum secutum esse, dico Posidonium. Nec mirum, qui egregium Iudaeorum terram et mores describendi artificem se praebuerat, eum ut alios scriptores ita Tacitum in eadem gente describenda respexisse. Sed ne temere hoc tibi dictum videatur, quae de Iudaeorum terra apud Diodorum II 48, XIX 99, apud Iustinum XXXVI, III 1—7,[1]) apud Strabonem C. 764, c. 2 § 43, porro quae de rebus gestis moribus institutis eorum apud Diodorum XXXIV 1 sq. leguntur cum Tacito comparabo:

Tac. V 3:

*Plurimi auctores consentiunt orta per Aegyptum tabe, quae corpora foedaret, regem Bocchorin adito Hammonis oraculo remedium petentem purgare regnum et id genus hominum ut invisum deis (1) alias in terras avehere iussum sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, . . . et continuum sex dierum iter emensi septimo pulsis cultoribus optinuere terras, in quis urbs et templum dicata (2).*

4: *Moyses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit (3), . . . effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere (4), . . .*

Diod. XXXIV 1:

*ἀπεδείκνυον δὲ καὶ τοὺς προγόνους αὐτῶν ὡς ἀσεβεῖς* (8) *καὶ μισουμένους ὑπὸ τῶν θεῶν* (1) *ἐξ ἁπάσης τῆς Αἰγύπτου πεφυγαδευμένους. τοὺς γὰρ ἀλφοὺς ἢ λέπρας ἔχοντας ἐν τοῖς σώμασι καθαρμοῦ χάριν ὡς ἐναγεῖς συναθροισθέντας ὑπερορίους ἐκβεβλῆσθαι. τοὺς δὲ ἐξορισθέντας καταλαβέσθαι μὲν τοὺς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα τόπους* (2).

*συστησαμένους δὲ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος παραδόσιμον ποιῆσαι τὸ μῖσος τὸ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους* (6), *διὰ τοῦτο δὲ καὶ νόμιμα παντελῶς ἐξηλλαγμένα* (5) *καταδεῖξαι, τὸ μηδενὶ ἄλλῳ ἔθνει τραπέζης κοινωνεῖν μηδ᾽ εὐνοεῖν τὸ παράπαν* (7) . . . *Ἀντίοχος γὰρ ὁ προςαγορευθεὶς Ἐπιφανὴς καταπολεμήσας τοὺς Ἰουδαίους εἰσῆλθεν εἰς τὸν ἄδυ-*

[1]) Quae apud Iustinum illo loco praebentur, ea non minus quam Diodori l. II. c. 48 et XIX. c. 99 ex Posidonio deprompta esse evici supra pag. 32—36.

5: *cetera instituta, sinistra foeda, pravitate valuere (5)... misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium (6). separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent (7)*[1] ... *nec quicquam prius inbuuntur quam contemnere deos (8), exuere patriam* . . .

6, 5: *fruges nostrum ad morem praeterque eas balsamum et palmae (9). palmetis proceritas et decor, balsamum modica arbor (10):* . . . *fragmine lapidis aut testa aperiuntur; umor in usu medentium (11) est.*

*praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus (12).*

τον τοῦ θεοῦ σηκόν, οἷ νόμιμον εἰσιέναι μόνον τὸν ἱερέα· εὑρὼν δὲ ἐν αὐτῷ λίθινον ἄγαλμα ἀνδρὸς βαθυπώγωνος καθήμενον ἐπ᾽ ὄνου (4), μετὰ χεῖρας ἔχον βιβλίον, τοῦτο μὲν ὑπέλαβε Μωυσέως εἶναι τοῦ κτίσαντος Ἱεροσόλυμα καὶ συστησαμένου τὸ ἔθνος, πρὸς δὲ τούτοις νομοθετήσαντος τὰ μισάνθρωπα καὶ παράνομα ἔθη (4, 5) τοῖς Ἰουδαίοις . . .

II 48, 9: ἀγαθὴ δ᾽ ἐστὶ φοινικόφυτος ὅσην αὐτῇ συμβαίνει ποταμοῖς διειλῆφθαι χρησίμοις ἢ πηγαῖς δυναμέναις ἀρδεύειν (9). γίνεται δὲ περὶ τοὺς τόπους ἐν αὐλῶνί τινι καὶ τὸ καλούμενον βάλσαμον . . . τῆς δ᾽ ἐξ αὐτοῦ χρείας εἰς φάρμακα τοῖς ἰατροῖς καθ᾽ ὑπερβολὴν εὐθετούσης (11).

Iust. XXXVI, III 4: *arborem opobalsami similem formam piceis habent, nisi quod sunt humiles (10) magis* . . .

*sed non minor loci eius apricitatis quam ubertatis admiratio est. quippe cum toto orbe regionis eius ardentissimus sol sit, ibi tepidi aeris naturalis quaedam ac perpetua opacitas inest (12).*

---

[1]) Confer Th. Reinach, l. l. pag. 307 adn. 1: „Ce tableau de la misoxénie des Iuifs et de leur étroite solidarité reproduit des traits que nous avons signalés chez tous les polémistes alexandrins et rhodiens depuis Manéthon et Posidonios.

*lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer (13), neque vento impellitur (14) neque pisces aut suetas aquis volucres patitur (15). inertes undae superiacta ut solido ferunt*[1]*; periti imperitique nandi perinde attolluntur (16). certo anni bitumen egerit (17), cuius legendi usum . . . ater suapte natura liquor et sparso aceto concretus innatat; hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt: inde nullo iuvante influit oneratque, donec abscindas. nec abscindere aere ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo feminae per menses exsolvuntur (18)*[1]*. sic veteres autores.*

7: *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos fulminum iactu (19) arsisse; et manere vestigia, terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse*[2]*.*

Diod. II 48, 6: *λίμνη τε μεγάλη φέρουσα πολλὴν ἄσφαλτον . . . τὸ δ' ὕδωρ δυσῶδες καὶ διάπρικον, ὥστε μὴ δύνασθαι μήτ' ἰχθῦν τρέφειν μήτ' ἄλλο τῶν καθ' ὕδατος εἰωθότων ζῴων εἶναι* (15). Iust. III 7: *neque ventis movetur resistente turbinibus bitumine* (14).

Diod. II 48, 6: *ἐξ αὐτῆς δὲ μέσης κατ' ἐνιαυτὸν ἐκφυσᾷ ἀσφάλτου μέγεθος* (17).

XIX 98, 1: *ἂν δέ τις αὐτῶν ἀποπέσῃ τῆς δέσμης διαλυθείσης μὴ δυνάμενος νεῖν, οὐ καταδύεται καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις ὕδασιν* (16).

Strabo C. 764, c. 2 § 43: *γόητας δ' ὄντας σκήπτεσθαί φησιν ἐπῳδὰς ὁ Ποσειδώνιος τοὺς ἀνθρώπους καὶ οὖρα καὶ ἄλλα δυσώδη ὑγρά* (18), *ἃ περικαταχέαντας καὶ ἐκπιάσαντας πήττειν τὴν ἄσφαλτον.*

Diod. II 48, 8: *ὁ δὲ πλησίον τόπος ἔμπυρος ὢν* (19) *καὶ δυσώδης ποιεῖ τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων ἐπίνοσα καὶ παντελῶς ὀλιγοχρόνια* (13).

[1]) Conferas quae de Iustini verbis (III 7): *omnia vita carentia in profundum merguntur* . . . dicit Th. Reinach, l. l. pag. 256, adn. 3: L'affirmation relative à la navigation est fausse; Justin (ou Trogue Pompée) paraît avoir mal compris un texte qui disait que les corps vivants surnagent dans l'eau de la mer Morte, tandis que les objets minéraux coulent au fond.

[2]) Confer Th. Reinach, l. l. pag. 311 adn. 1: Ce détail se retrouve

Id quoque commemorabo, prima statim verba Taciti (2, 6): *inclutum in Creta Idam montem, accolas Idaeos aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocitari* . . . memoriam afferre Posidonii dicentis (Diod. V 32, 4): *ὀνομαζομένους δὲ Κιμμερίους, τούτους εἶναι, βραχὺ τοῦ χρόνου τὴν λέξιν φθείραντος ἐν τῇ τῶν καλουμένων Κίμβρων προσηγορίᾳ*; porro ea, quae de terrae situ finibusque commemorantur (6, 1) apertam Posidonianae consuetudinis prae se ferre notam. Deinde ne id quidem casu factum esse censuerim, ut Tacitus in Hammonis contumeliam a Iudaeis arietem caesum esse narret (4, 5), suem magnam ab Antiocho Mosis asinique simulacro immolatam esse proferat Posidonius (Diod. XXXIV 1, 4).

Possum plura afferre, sed ad annales transgredi praestat.

### 4. De annalium digressionibus.

Atque ut iterum ab iis qui in hominum moribus describendis versantur locis exordiamur, de Tiberio quidem et Germanico, ad quos res in primis VI libris narratae maxime referantur, servato annalium scriptorum more Tacitum exposuisse accuratissime demonstravit J. Bruns.[1] Neque omnibus viris describendis hanc servavit rationem: quippe nonnulli viri inducuntur, qui minoris quidem sunt momenti, quam ut ipsis rebus narratis quid de iis existimandum sit possit ostendi, quorum tamen ingenio natura moribus adumbratis et designatis tristium rerum narrationem variari et distingui Tacitus non ignoravit.[2] Qua in re ad artem Sallustianam se conformavit, ita quidem ut duas quae in Catilina exstant descriptiones imitando effingeret, id quod diu viderunt viri docti. Atque quam diligenter Sallustii vestigia Tacitus presserit ut ipse videas, quae ab hoc de

---

chez Josèphe, B. Iud. IV 8, 4, qui a sans doute copié un auteur plus ancien, le même auquel Tacite fait allusion par les mots *veteres auctores*. Peut-être s'agit-il de Posidonios, quoique Strabon dans l'extrait qu'il donne de cet auteur mentionne simplement: *οὖρα καὶ ἄλλα δυσώδη ὑγρά*.

[1]) Untersuchungen, pag. 71—83.

[2]) ibd. pag. 70.

Seiano, ab illo de Catilina exhibentur componere non alienum videtur. Conferas velim haec:

Tac. ann. IV 1.

*corpus illi laborum tolerans, animus audax (1); sui obtegens, in alios criminator (2); iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido (3), eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur (4).*

Sall. Cat. 5.

*corpus patiens inediae algoris vigiliae supra quam cuiquam credibile est. animus audax (1) subdolus varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens sui profusus (2), ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. vastus animus inmoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat ... neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet (4), quicquam pensi habebat.*

Nec minus apertam imitationis notam prae se ferunt ea, quae apud Tacitum de Poppaea Sabina leguntur:

Tac. ann. XIII 45.

*Huic mulieri cuncta alia fuere praeter honestum animum (1). Quippe mater eius, aetatis suae feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam (2) dederat; opes claritudini generis sufficiebant. sermo comis nec absurdum ingenium (3): modestiam praeferre et lascivia uti: rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. famae numquam pepercit (4) maritos et adul-*

Sall. Cat. 25.

*Haec mulier genere atque forma (2), praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit (1); pecuniae an famae minus parceret (4), haud facile discerneres; lubido sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. sed ea saepe ante-*

*teros non distinguens; neque adfectui suo aut alieno obnoxia, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat.*

*hac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat: luxuria atque inopia praeceps abierat. verum ingenium eius haud absurdum* (*3*)*: posse versus facere* . . .

Accedunt nonnullae aliae descriptiones: XV 34 Vatinii, qui gladiatorium munus edidit, origo et mores breviter perstringuntur. Eiusdem libri loco non integro servato de origine comperimus Nymphidii, cuius de perfidia et dominandi cupiditate Tacitum docuisse verba indicare videntur praeposita haec (72): *quia nunc primum oblatus est, pauca repetam. nam et ipse pars Romanarum cladium erit.* Morum his descriptionibus neque elogiis ea adnumeranda sunt, quae sunt de ingenio indole luxu Petronii (XVI 18), cuius vitae exitus paulo post narratur. Denique quae de C. Pisonis origine facundia, largitione levitate (XV 48) leguntur quamquam solito more sunt exposita, tamen minus huc pertinent, quippe quibus id in primis Tacitus agat, ut explicet, quomodo fieri potuerit, ut omnis generis homines sibi suisque consiliis tam facile conciliaret.

Neque tamen in annalibus virorum insignium mortem eadem qua in historiis usus est ratione persecutus est. Vitae quidem descriptione duo viri, qui mortui primum commemorantur, digni ducuntur: Sallustius Crispus, cum *C. Sallustio, rerum Romanarum florentissimo auctore* propinqua cognatione coniunctus (III 30), et Curtius Rufus (XI 10), qui obscuro loco natus miro quodam modo summos honores adeptus est; sed tamen de natura moribusque eorum nonnisi ea exhibentur, quae vita describenda postulantur. Haud ita differt V 1, ubi de Iuliae Augustae diversis vitae spatiis nonnulla afferendi occasionem arripit. De Augusti autem (I 9, 10) et Germanici mortui (II 73) vita et moribus quid existimandum sit eo docet, quod populum inducit Augustum quidem ex hac parte laudantem, ex illa vituperantem, Germanicum autem praedicantem atque Alexan-

dro Magno comparantem. Artem Alexandrinae aetatis rerum scriptorum propriam a Tacito egregie excultam hic licet deprehendere[1]. Eorundem scriptorum rationi convenit, quod Arminii et Tiberii elogiis liber secundus et sextus concluduntur[2]. Elogia autem ipsa annalium scriptorum Liviique exemplo et auctoritate Tacitus instituit[3]. Arminium enim, Germania liberata maxime commemoratu dignum, septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevisse, etiam nunc vivere cantibus apud barbaras gentes praedicat (II 88)[4]; et Tiberii vitam paucis complectitur, ita ut primum numerum annorum quos Tacitus expleverit adnotet, deinde origine commemorata vitam in diversa tempora distinguat et quibus quoque virtutibus aut vitiis eminuerit doceat (VI 51), id quod Livium in morte virorum insignium solitum esse vidimus (pag. 42).

Verum unum sane in annalibus inest elogium, quo

---

[1]) confer E. Norden, Einleitung I, pag. 581: „Tacitus verwendet wiederholt eine sehr wirksame Technik, die Volksstimme wiederzugeben . . . 9 f: Das Volk an der Bahre seines Kaisers . . . II 82: Stimmung in Rom bei der Kunde von der Erkrankung des Germanicus. . . . Daß er nun diese Technik nicht erfand, zeigt ihr Vorkommen bei Curtius Rufus III 5. . . . Diese Technik, die sich vielleicht auch anderswo wird nachweisen lassen, werden wir also auf die hellenistische Historiographie zurückführen dürfen."

[2]) confer E. Norden, Einleitung I, pag. 583: Die Technik, einzelne Bücher mit dem Tode einer Hauptperson schließen zu lassen, hat Tacitus nicht erfunden: Pompejus Trogus hatte es oft . . ., bei Curtius Rufus schloß V . . . wahrscheinlich mit dem Tode des Darius . . ., wie X mit dem Alexanders schließt. Das führt auf die hellenistische Geschichtsschreibung und über diese hinauf vielleicht schon auf Theopompos.

[3]) S. Bruns, Untersuchungen, pag. 68.

[4]) Confer quae de hoc elogio scribit E. Norden, Einl. I, pag. 576: Ferner sind die berühmten Worte des Tacitus (a. II 88) von Arminius: *canitur adhuc apud gentes* beeinflußt durch Xenoph. Cyrop. I 2, 1 *ὁ Κῦρος . . . ᾄδεται ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ τῶν βαρβάρων*: ihre sachliche Glaubwürdigkeit braucht deshalb nicht angezweifelt zu werden, aber es ist doch bezeichnend genug, daß Dionys. Hal. VIII 62, 3 Analoges von Coriolanus sagt (*ᾄδεται καὶ ὑμνεῖται πρὸς πάντων ὡς εὐσεβὴς καὶ δίκαιος ἀνήρ*).

Tacitus intermissum morem videatur referre, dico III 75, ubi de Atei Capitonis moribus agitur. Sed haec suas habent causas. Memineris velim Sallustium in Catilina Caesarem Catoni comparasse, ita ut alterius singulas corporis ingeniique facultates alteri opponeret. Idem in annalibus facit Tacitus, quippe qui non de Ateio solo moneat, sed alterum quoque duorum quae illa aetas simul tulit *pacis decorum* inducat, Labeonem Antistium, quem *iisdem quidem artibus praecellentem* sed indole et moribus disparem cum illo componit. Qua in re nihil interesse apparet Tacitum alterius morte narrata inserendae comparationis occasione uti, Sallustium viros primum commemoratos composuisse. Quid igitur? Nempe necessario consequitur, ut Tacitum in annalibus componendis ab historiis Sallustii se avertisse et ad annalium scriptorum morem et consuetudinem se applicavisse statuamus, ita tamen ut, quas in Catilina Sallustius inseruit digressiones, eas locis idoneis imitando exprimeret.[1])

Haec si recte disputavimus, conicere licet in narrandis quoque rebus et exponendis annalium scriptorum normam Tacitum servavisse neque excursus ab ea alienas inseruisse. Atque primum quidem constat, quae quovis loco sibi probavit, ea Tacitum haud incertum referre. Neque repugnat III 16, ubi, postquam Pisonem perfosso iugulo repertum esse narravit, de morte eius accuratius conatur explicare: quippe quae ut a senioribus tradita in ipsam narrationem recipere non potuit, ea in fine addidit adnotatione ad res relatas nihil valente, qualibus aliquotiens Livium usum esse vidimus.

At uno loco, IV 57, ut leges quibus se obstrinxit neglegat adducitur et paene cogitur. Quamquam enim Tiberium auctore Seiano in Campaniam proficisci constituisse modo rettulit, tamen tanta dubitatio ei movetur, ut quae paulo ante

[1]) Haec igitur prima et praecipua causa est, cur virorum mortuorum vitam solito more persequi Tacitus desinit, quod quare fecerit quaerit F. Leo l. l. pag. 236: „Die „Elogien“ aber läßt Tacitus im Verlauf der Arbeit allmählich fallen, einerseits gewiß, weil er die Männer von ihrem Auftreten an begleitet hat, doch muß er auch einen andern Anlaß gefunden haben, sich der in seinem ersten Werke festen Gewöhnung zu entschlagen“.

pro certo posuit in dubium vocans num sit veri similius quaerat sua libidine et saevitia Tiberium commotum esse; neque vero id satis habet, sed duas alias causas ab aliis allatas proponit. Quo facto quaenam vera profectionis causa existimanda sit non decernens ad rem revertitur. Ingeniose autem fugit eiusmodi quaestionem I 5 eo, quod populi voces sic consequitur: *et quidam scelus uxoris suspectabant. quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum* . . .

Longe alio spectant l. IV c. 10—11, ubi Drusi nece relata a proposito digreditur, ut rumorem quendam de illo facinore suis temporibus nondum exstinctum non explicet solum sed etiam diligentissime refellat. Cui rei qua de causa adeo enixe operam dederit, Tacitus ipse monet verbis quibus expositionem concludit his: *Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehaberent.* Eo igitur consilio Tacitum haec subiecisse intellegitur, ut accuratam et diligentem exquirendi rationem commendet. Quis est cui haec res non memoriam afferat Thucydidis, qui l. VI 54 sq.[1]) verbis praemissis his: *ἣν ἐγὼ ἐπὶ πλέον διηγησάμενος ἀποφανῶ οὔτε τοὺς ἄλλους οὔτε αὐτοὺς Ἀθηναίους περὶ τῶν σφετέρων τυράννων οὐδὲ περὶ τοῦ γενομένου ἀκριβὲς οὐδὲν λέγοντας* . . . clarissimam illam digressionem interponit, qua falsam quae tunc vulgo ferebatur opinionem ut redarguat enititur. Aperte enim, quamvis non profiteatur, nihil agit nisi ut opinione illa refutata studium et sagacitatem a se ipso rebus cognoscendis et indagandis adhibitam illustret et narrationi omni fidem conciliet.

De rerum statu et indole temporum Tacitus numquam excursu a proposito facto sed Thucydidis annaliumque scriptorum instituto et exemplo ipsa narratione docet. Fit ut ad populi voces refugiat, veluti XIII 6 periculo a Parthis imminente rei publicae Romanae condicionem eo ostendit, quod urbanos in contrarias partes de ea facit disputantes.

---

[1]) cf. Ed. Meyer, Forschungen II, pag. 383 adn. 1.

Neque quid de rebus narratis existimandum sit ut aperiat, ubi magni eius interest, alia ratione utitur. Memineris velim loci eius, ubi de Augusti mortui natura ingenio moribus ita sententiam suam profert, ut quid in sepultura alii ad eum vituperandum, alii ad eum laudandum attulerint exhibeat. Simillimo modo IV 20—21, ut de quinquenali ludicro a Nerone instituto quid ipse sentiat expromat, maiorum ludis comparatis alios illud excusantes et defendentes, alios improbantes et accusantes inducit.[1])

Iamvero quatenus iis quae in ipsa rerum expositione occurrunt digressionibus id, quod de annalibus statuimus, comprobetur videamus. Praeteritorum quidem temporum, ubi ad res illustrandas necessarium est, aliquotiens Tacitus rationem ducit. Porro quemadmodum in historiis Vitellium (III 68) ita in hoc opere (XIII 3, 9) Neronem, qui in Claudii funere laudationem habet a Seneca compositam, cum praecedentibus imperatoribus comparat iterum populi sermones simulans: *Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse. Nam* ... Quae deinde de J. Caesaris, Tiberii, Gai, Claudii dicendi facultate leguntur, ea non populum facit disputantem sed ipse suis verbis profert. Hunc excursum non minus quam illum, qui in historiis occurrit, ex scriptoris arte narrandi natum esse vix est quod moneam.

Terrarum gentiumque descriptiones interposuit nullas, utpote alienas et ab annalibus Romanis et a Sallustii Catilina. At disputationem quandam inseruit, qua profectus ab iis, quae modo rettulit, de rebus ad ipsum argumentum nihil pertinentibus disserit, dico VI 22, ubi Trasylli vaticinio commemorato utrum necessitate an forte res mortales regantur quaerit, ita ut iis videatur assentiri, qui *primo cuiusque ortu ventura destinari* arbitrentur. Quam digressionem cui neque in historiis neque in annalibus, si ab iis, quae de principum inclinatione brevissime adnotantur IV 20, dis-

---

[1]) conf. pag. 83 adn. 1.

cesserimus, similem deprehendimus, quam ob causam Tacitum instituisse putemus? Res est in aprico. Sallustii paruit auctoritati, quippe qui in Catilina (53, 2) expositionem quamvis diversi argumenti tamen similis generis subiecerit. Cuius scriptoris exemplum sese respexisse, id ipse eo significat, quod ab iisdem fere verbis initium sumit. Conferas Tac. VI 22: *Sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur;* et Sall. 53, 2: *Sed mihi multa legenti multa audienti, quae populus Romanus . . . fecit, forte lubuit attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset.*

Progrediamur ad alium brevem excursum, qui non tam ex Sallustii imitandi studio quam ex propensa in Vespasianum voluntate videtur esse natus. Luxum enim mensae Tiberii senatusque opera et labore non coërcitum posteris temporibus paulatim exolevisse adnotat, et ita digrediendi loco parato ex quibus rebus huius mutationis causae repetendae sint quaerit. Cui quaestioni ita respondet, ut primum altius repetens de priorum temporum luxuria impune exercita mentionem inchoet, deinde commutationis factae duabus causis allatis praecipuum adstricti moris auctorem Vespasianum praedicet, cuius principis severos in mores cives se formavisse affirmat. Denique num omnes res per statas vices soleant remeare suspicatus laude suae aetati impertita digressionem concludit. Exponit autem ita, ut Sallustium dissensionum civilium initia ostendentem liceat comparare:

| Tac. III 55. | Sall. Iug. 41. |
| --- | --- |
| *Dites olim familiae nobilium aut claritudine insignes studio magnificentiae prolabebantur . . .* | *Ceterum mos partium et factionum ac deinde omnium malarum artium paucis, ante annis Romae ortus est . . .* |
| *Nam etiam tum plebem socios regna colere et coli licitum; ut quisque opibus domo paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur.* | *Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant . . .* |

*Postquam caedibus saevitum et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere.*

*Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quae res secundae amant lascivia atque superbia incessere.*

Artem Sallustianam res nascentes et crescentes illo modo persequendi quam penitus Tacitus perceptam habeat, ex clarissima expositione elucet, qua (III 26—28) de lege Papia Poppaea ceterarumque legum multitudine tunc populum vexante mentione inchoata a proposito aberrat, ut paucas fuisse leges initio et simplices, paulatim in numerum infinitum auctas esse doceat. Cuius digressionis rationem probare studet his verbis: *Ea res admonet, ut de principiis iuris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.* Aperte revocamur hac formula ad ea verba, quae in Catilina Sallustius, priusquam ex quibus initiis malos civitatis mores profectos persequitur, praeponit: *Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus Romanis tempus admonuit, supra repetere ac paucis . . . disserere.* Similis igitur argumenti expositio similibus verbis pronuntiatur. Quare hunc ipsum locum Tacitum respexisse non falso opinabimur, praesertim cum, id quod gravissimum est, eandem uterque disserendi adhibuerit rationem. Quod ut probem, quae sufficiunt exhibebo et sub uno couspectu ponam:

Tac. ann. III 26—28.

*Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro scelere eoque sine poena aut coërcitationibus agebant: neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.*

*At postquam exui aequa-*

Sall. Cat. 6—13.

9. *Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat . . .*

10. *Sed ubi labore atque*

| | |
|---|---|
| *litas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes ...* | *iustitia res publica crevit, ... saevire fortuna ac miscere omnia coepit ...* |

Deinde Sallustius luxuriam et ambitionem crescentem, Tacitus leges percrebescentes ostendit et persequitur, ita ut digressione perfecta uterque ad rem revertatur.

Quae de universarum legum origine hic leguntur, ea tamquam exordium et fundamenta sunt brevium duorum excursuum, quibus de singulis legibus agitur. Quorum altero (I 72) leges maiestatis, quas a Tiberio tunc redditas populus aegre fert, a veteribus quidem constitutas sed tamen remisse administratas, postea ab Augusto intentas, a Tiberio non minus severe exercitas esse comperimus. Altero (VI 16), postquam legem funebrem a Caesare dictatore datam tum prorsus neglectam esse rettulit, nonnullas leges severas, quibus antiquis temporibus fenus, vetus urbis malum, cohibitum et postremo omnino erat vetitum mitium posterioris temporis legum ratione non ducta commemorat.

Arta his qui in legibus versantur excursibus necessitudo intercedit cum nonnullis aliis, qui sunt de magistratibus. Quorum quae exordium et tamquam caput habenda sit expositio in ipsis quidem annalibus non se offert, sed prooemium huius operis vicem eius praestare docuit F. Leo [1]). Huius enim prooemii parte prima quibus variis rei publicae formis ab urbe condita usque ad Augusti imperium Romani usi sint brevissime refert [2]) atque ita excursuum illorum fundamentum ponit, quibus, quemcumque magistratum mutatum rettulit, eius originem repetit. Commemorat autem Tacitus de origine progressuque praefecturae urbis (VI 11), de aerarii cura (XIII 29), de procuratorum iure (XII 60), de

---

[1]) Gött. Nachr. (a. 1896) pag. 191.

[2]) Notatu dignum videtur, quod Tacitus, ut historiarum prooemium ex Sallustii historiarum prooemio imitatione expressit, ita annalium primis verbis: *Urbem Romam a principio reges habuere* ... aperte respicit illius quae in Catilina prooemio subsequitur digressionis verba haec: *Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani* ... (cf. Wölfflin, in Philol. vol XXVI [a. 1867] pag. 124).

quaestura (XI 22). Adnumerare licet locum ad principis potestatem spectantem. Postquam enim urbis pomerium tunc a Claudio auctum esse narravit, a quibus principibus Romanis quoque modo haec urbis finium proferendorum potestas usurpata sit docet (XII 23). Accedunt tres qui simili modo instituti sunt loci. Quorum primo (IV 65) Caelius mons tunc deustus et Augustus appellatus a quibus rebus quae nomina prioribus temporibus ceperit adnotat; altero (VI 28) quae de Phoenicis avis forma origine morte comperta habet expromit; tertio (XI 14), postquam Claudium literaturae paulatim auctae excusatione usum tres novas literarum formas addidisse rettulit, literaturam nascentem et crescentem ostendit.

Quae omnibus his locis a Tacito praebentur unde profecta sint tam accurate in commentatione supra commemorata docet F. Leo, ut ego hac re denuo tractanda iure supersedeam. Id quaeritur, quibusnam rebus commotus has digressiones eruditionis cuiusdam notam prae se ferentes subiecerit. Sane non mirum est Tacitum, quas res tam diu in re publica versatus penitus noverat, eas in deliciis habuisse de iisque docendi occasioni eum non defuisse. Qua de re commodissime dicit G. Boissier[1]): „Parmi ces digressions, les plus nombreuses se rapportent à la constitution romaine, aux changements qu'elle a subis, aux magistratures anciennes et nouvelles, à la distribution des légions dans l'empire, etc.; on comprend que des subjets de ce genre aient occupé un jeune homme qui se destinait à la vie publique.“ Neque tamen, quamvis recte ea dicantur, novum morem Tacitum induxisse, sed, quemadmodum ad illos qui sunt de rebus divinis excursus Sallustii historias aliquantum valuisse collegimus, ita hac quoque in re ad priorum scriptorum exemplum aliquo modo eum sese conformasse ratio postulat ut statuamus. Atque facile aliquis suspicetur Sallustium in historiis Tacito imitationis facultatem praebuisse, cum profert illud fragmentum, ex quo Sallustium lege Aemilia commemorata leges frumentarias antea latas

[1]) Tacite, Paris. a. 1903 pag. 11.

digressione persecutum esse Maurenbrecher[1]) collegit. Verum ut hoc ipsum concedatur, semel vel bis legis alicuius originem eum ostendisse, nullo tamen modo probabile est Sallustio adeo res ad ius publicum pertinentes fuisse curae, ut imitandi facultatem praebere posset, praeterquam quod non tam in annalibus quam in historiis ad Sallustii historias Tacitum se applicuisse ceteri excursus docent. Immo vero ut ad complures alios annalium locos ita ad has quoque digressiones instituendas non falso opinabimur magni fuisse momenti morem et consuetudinem eorum in primis annalium scriptorum, qui Taciti tempora praecedebant. Quorum scriptorum vix unum eruditione quadam abstinuisse inter viros doctos constat. Verum utrum usitatam annalium scriptorum consuetudinem sibi asciverit, an, id quod potius crediderim, certum aliquem scriptorem, veluti Fenestellam respexerit, qui Augusti aetate Cassii Heminae vestigiis insistens excursu ab argumento facto de ludis circensibus, de provocatione, de quaestura, de aliis rebus ad ius publicum spectantibus disseruit[2]), ab eoque una cum rebus narratis singulos excursus transtulerit, id certo diiudicari nequit.

## 5. Conclusio.

Priusquam autem hanc dissertationem absolvam, pauca dicam de formulis illis, a quibus Tacitus aliquotiens digrediendi sumit initium. Quae formulae quomodo sint explicandae cognosces, si quae Sallustius similibus locis praemisit verba comparaveris haec: Tac. hist. IV 5: *Res poscere videtur, quoniam iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut . . . paucis repetam;* Sall. Iug. 95, 2: *Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est de natura cultuque eius paucis dicere.* — Tac. hist. V 2: *Sed quoniam famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia eius aperire;* Sall. Iug. 79: *Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus,*

---

[1]) l. l. I fr. 62.

[2]) J. Poeth, de Fenestella, diss. Bonn. a. 1849.

*non indignum videtur . . . memorare.* — Tac. ann. III 25: *Ea res admonet, ut de principiis iuris, et quibus modis . . . perventum sit, altius disseram;* Cat. 5, 9: *Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quomodo facta sint, disserere.* — Tac. ann. XVI 18: *De Petronio pauca supra repetenda sunt;* Cat. 4, 5: *De cuius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.*

Neque igitur ex illis formulis, quippe quas ex Sallustianis formulis profectas esse appareat, de ipsis digressionibus aliquid certius afferre licet, id quod fecit Philippus Fabia in libro qui inscribitur: „Les sources de Tacite.“[1]) Ex iis enim quae Tacitus praeponere solet verbis sibi visus est perspicere, utrum Tacitus ipse digrediendi consilium capiens vel de suo vel alio scriptore adhibito res subiecerit, an ex eo quem quoque loco secutus sit scriptore una cum ceteris rebus narratis digressionem quoque transtulerit. Qua in re qua ratione usus sit declaravit pag. 246, ubi hac formula allata: *Haud fuerit longum initia religionis . . . paucis disserere* . . . digressionem subsequentem fonti ipsi, dicit Plinium, attribuit sic ratiocinatus: „Tacite ne s'en attribue pas l'initiative: il s'excuse seulement d'interrompre son récit. Entre les formules à cause desquelles nous avons revendiqué pour Tacite certaines digressions et celle-ci, il y a une différence essentielle. Les autres contiennent toutes une verbe à la première personne par lequel Tacite indique clairement son intervention. Ici le verbe est à la troisième personne, il n'y a pas dans la formule le moindre indice d'une source secondaire.“

Verum tamen id suo iure affirmat, eius generis excursus Tacitum invenire potuisse apud eum quem quovis loco sequitur auctorem, quamvis non demonstretur verbis praepositis, ex quibus nihil effici potest nisi ex Sallustio imitatione formulas illas expressas esse, sive ipsius huius

---

[1]) Paris. 1893, pag. 246.

auctoris exemplo Tacitum eas instituisse sive similes iam apud eos qui aetatem eius praecedebant annalium scriptores exstitisse putamus.

Haec fere habui quae de Taciti digressionibus dicerem; ut autem eorum, quae exposui, summam strictim complectar, in eo qui Agricola inscribitur libro componendo Tacitum vidimus belli Iugurthini Sallustiani, quippe cuius duas digressiones inter cohaerentes tamquam transtulerit, rationem duxisse. Iis qui in terris gentibusque describendis versantur excursibus conferre debemus Germaniam, nisi quod historiis eam non praemissam videmus sed insertam. Quo in libro componendo rationem et artem, quam primus Posidonius adhibuit, diligentissime servavit. Ad historiarum digressiones instituendas plurimum valuisse constat Sallustii historias. Quo factum est, ut Tacitus de virorum insignium origine natura moribus doceret, virorum mortuorum vitam et mores, respiceret, duorum locorum interitum paucis persequeretur, ut explicaret ritus peregrinos, Iudaeam describeret et qui eam habitant, dominandi cupiditatem in re publica Romana nascentem et crescentem ostenderet. Historias secuti sunt annales, in quibus Sallustii historiis neglectis ad Alexandrinae aetatis rerum scriptorum, in primis autem eorum qui eum praecedebant annalium scriptorum auctoritatem se applicuit. Haec causa habenda est, cur quid de Tiberio et Germanico existimandum sit ipsa narratione docuerit, virorum mortuorum vitam persequendi consuetudinem mutaverit, in rebus narrandis excursus nisi annalium scriptorum rationi convenientes non subiecerit, denique cur rituum explicationibus et terrarum descriptionibus omissis complures qui ad ius publicum pertinent excursus inseruerit. Verum ita auctoritati eorum paruit, ut, quas in Sallustii Catilina invenit digressiones, eas idoneo loco imitando exprimeret.

# Vita.

Natus sum Guilelmus Theissen die 3. mensis Mart. anni MDCCCLXXXV in vico Oldenburgiensi, cui nomen est Bakum, patre Guilelmo, matre Gesina e gente Diekmann, quae mihi septemdecim annos nato praematura morte erepta est. Fidei addictus sum catholicae. Primis linguae latinae elementis imbutus a Josepho Ruholl, vicario vici patrii reverendissimo, postquam tres annos ludos reales frequentavi, suadente et adiuvante Josepho Diekmann, avunculo docto, in gymnasium Vechtense transii. Unde testimonio instructus maturitatis vere anni MCMV Monasterium me contuli, ut theologiae operam darem, sed consilio mutato vere insequenti apud philosophorum ordinem nomen professus per ter senos menses lectiones et exercitationes adii vv. ill: Cauer, Geyser, Jostes, Kroll, Radermacher, Schwering, Sonnenburg, Streitberg. Autumno a. MCMVII Berolinum transmigravi, ubi per sex semestria scholiis interfui philosophicis et paedagogicis vv. dd: Dessoir, Erdmann, Paulsen, Stumpf; philologicis et historicis vv. ill: Diels, Herrmann, Helm, E. Meyer, Norden, E. Schmidt, W. Schulze, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, Wentzel. Proseminarii philologici I, cui tum praefuerunt primum de Wilamowitz-Moellendorff, postea Helm, per ter senos menses sodalis fui ordinarius. Quibus omnibus viris doctissimis, qui de studiis meis optime meriti sunt, in primis Eduardo Norden, qui benigne consilio mihi praesto fuit, memori animo gratias habeo maximas.

Examen rigorosum sustinui die 23. mensis Nov. anni MCMXI.



C. Schulze & Co., G. m. b. H., Gräfenhainichen (Bez. Halle).